TAntine vestra facitis, ut non cedere, quod æquum fuerat, nec de æquo loco contendere, quod ferendū: sed etiam principatū vestro quodammodo jure sumatis? Quem vero tu principem appellas? Anne eum qui ornatu pulcherrimo corporis, non animi virtutibus præstat? Quis autem nos præstare virtutibus non videat? Quippe qui viros eis refertissimos (si in tam præclara re hoc verbo uti licet) ad te allegare possimus. Tu vero ad nos unum tantum verborum maximum architectum, coloris in quo satis, nervorum parum. Sed jam satis jocati sumus, a te his litteris, quas IX. calend. Decembr. dederas, quæ XVII. deinde die ad me sunt allatæ, provocati. Quibus quod omnes ne tuas acceperim es sollicitus, fuit mihi maxime gratum. Erat enim non minimum illa sollicitudo signum amoris erga me tui. Illa igitur te libero. Missam enim puto a te datam, quam ego non acceperim. Sed me Joannemque nostrum magis sollicitos reddit unguentum tuum, quod, ne Medea quidem ipsa posset conficere nam quamvis illius opera Æsonis comæ.

*Canitie posita nigrum rapuere colorem.**Pulsa fuit macies, abeunt pallorque situsque.**Adiectoque cavæ suppleantur corpore rugæ.*

Qui autem illa efficere posset, ut istæ dissimilem animum subeant ætate relicta. Itaque tu illis, ne plane animo cadant, dicito eis quamprimum Joannem perferendum curaturum, qui hac re usque eo angitur, ut scribere ad te non possit. Sed nescio quomodo ad joca labor: quanquam quid potius faciam habeo nihil, nisi fortasse quidem mihi Venetiæ videantur scire velis. Quod vel a pare (c) (sitis, vel) pharmacopolis quotidie audis. Si nova a me expectas, quæ nulla sunt, vetera tamen audies. V. ca-

a Petrum scilicet Ruitium Celtiberum JC. in Græcis litteris enucleandis præfert Lazaro Bonamico.

b Supplet Mayanlius.

c Supplet Mayanlius.

d Hæc epistola data est mense Januario anni 1538. Quo anno septem alias scriptas ab Augustino videmus ad Boleam.

lend. Quintiles Carolum Montione Valladolum profectum, ut Joannem filium, quem eodem mente Isabella pepererat, videret. Vale Dat. XIII. Calend. Januarii, Venetiis (M.....)

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

* Bononiam.

NON commendarem tibi Rod. Dori utriusque nostrum familiarissimi negotia, nisi ille maxime tua interesse putaret quantum per te ad rem familiarem suam eorum expeditionem: tantum majoremque pristini tui erga illum amoris cumulum meam commendationem adjuncturam. Quamobrem te non ut eum ames solum satis enim hoc tua sponte facias) sed ut syngrapham vel per Prætorem ab illo tabellario extorqueas, & quamprimum cures ut ad pecuniam perveniat, etiam atque etiam rogo. Hoc mihi quid gratius facias scio nihil. Solearius quo die isthinc, atque Genua solverit me facias certiolem. Vale (d) Patavio VIII. Calend. Februar. (MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

* Bononiam.

Pendentne etiam totos tres alteros menses? Quid igitur illa colloquia, illæque expectationes? Parturiunt montes. Nostri reliqua: Fallere, inquirunt, Turcam cogitant. An ille ignorabit quod nullus non videt?..... (quod illius capiti sit). Etenim Peloponnesumque..... cogitat. Gallisque sociis excedendi non facit potestatem. Veneti vero lupum (quod ajunt) auribus tenent. At Pater Paulus quidvis ferendum existimat, si hoc potuerit, impetrare, ut conventus ne fiat: urbi que timet quam propugnaculis, fossa cingendam copiis curat. Quid non? Endymionis mehercule..... Velim quoad nobilissimæ illæ calendæ Majæ venerint ut cetera omittam, quæ sunt innumerabilia, quid tibi..... ne, an huc an Romam, an in Hispaniam? Qui autem te ego angere videre poterō? Sed hæc sæpius quam vellem, lamentari licebit. Ad illa redeo: Calabrorum Ducem, Celtiberiæ Alburcensium Tarraconensi provinciæ; Valentiniæ Cæsaraugustanum Pontificem præpositum audio. Hæc te non ignorare volui. Fac valeas pridie Cal. Febr. Patavio (MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

* Bononiam.

Multis me video modis sefellisse spem: cum enim vel te, vel de te aliquid, vel ut ad quatuor saltem epistulas rescriberes expectabam: ecce autem eas litteras, quas VI. Iduum dederas, accepi, quibus de tuo adventu verbum nullum, teque vix unas a me literas accepisse significas, quod quidem moleste medius fidius tuli, sed non sane omni spe decidi. Nam & Ferraria tuto me literas misisse existimo: & te ut quamprimum otioso tibi Venetiis nobiscum liceat esse, antequam sumptuariis sit legibus obtemperandum, dare operam puto. Novi quid sit ex iis, qui tibi has attulerunt, scire poteris. Sed quoniam postulas vel flagitas potius, hæc scribam tantum quæ nobis afferuntur, Venetos dele-

lestum maximum habere militum ut cum Cæsarianis Paulinisque Turcas exerceant. Classi Oriam, peditibus & equitibus Urbinalem præfici, Carolum, pace desperata cum Gallo, adventare, Ænobarbumque archipiratam illum animam agere. Cetera cum adveneris. Nolo enim te omnia posse absentem cognoscere, tibi persuadeas. Vale Patavii VII. Calend. Martii (MDXXXVIII.) Scripta hac epistola nunciatum mihi fuit, Antonium Isarem (a) fratrem apparatu splendido fuisse Ferrariæ acceptum, profectumque in Campaniam, ut ibi hos consumat induciarum dies. Qui mihi jucundissimus nuntius fuit, quippe cum te ex sententia negotia confecisse tua arbitrer. Itaque tibi gratulor, vel nobis potius. Video enim te eum magistratum affecuturum brevi, qui tot dierum sit studiis dignus. Tu me omnium rerum certiore facies, & quidquid egeris velim Dii approbent. Vale.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

EX Villalbæ litteris intelleximus, Antonium tuum sex adhuc menses in Campania futurum. Videndum igitur est ne non te illo proficisci expediat. Tuus enim (ut mea fert opinio) adventus omnem procrastinandi potestatem auferet. Sed tu hæc melius. Cæsar huc cogitat, idest, in Italiam: non enim te credo expectare ut Vincentiæ commentandi causa congregentur Pontifices dum bellum viget. Illi si vera audio) festertium amplius millies altera illæ Hispaniæ mittunt. Quid hoc homine feliciter? Nosti superioribus diebus vix punicum cogitasse bellum, ecce tibi tot auri, tot argenti pondus, quot satis illi exercitui erat, eandem Hispanias numerasse. Fremant isti licet, solus est hic, quem diligunt Dii. Sed quid hoc est? Non commoveri vos?

Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique Imminet assimilis?

Tertium Paulum adventare semper, nunquam venisse, audio, omisso joco profectioem in hunc diem constitutam litteris Roma recentibus scriptum est. Dorus omnem pecuniam abstulit, quo tibi nomine gratias agit maximas. Tu a me cum meis litteris rescripseris, tum longiores expectato, cura ut valeas. V. Iduum Martii (Patavii anno MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

HUI! Duodecimumne diem te sine meis litteris esse patiar, te præsertim perturbato? Non faciam. Sed forti patianda animo, quæ dum hanc, quæ vita appellatur, vivimus, perferri necesse est. Currente, ut puto, admonebo. Aliquem enim finem expectato vel patris silentio, cui tu hæres (ut par est) in medullis vel Pauli Pontificis Max. peregrinationi, vel transalpinorum iræ. Quanquam Cæsarem Barcinone scribit Hieronymus frater IX. calend. Aprilis, nihil novi decretorum putare. Cur igitur Paulus in Liguriam? Aqua hæret, ut ajunt. Quod

^a Hujus amplissimi viri quater mentionem fecit Augustinus scilicet epist. 2. 6. & 7. & deinde epist. 17. quæ scripta est anno 1538. & 1540. qui quidem cum juvenis admodum in Italiam venisset, ibique cum gloria militasset, obiit tribus post hæc annis, scilicet anno 1643.

^b Degebat scilicet adhuc Augustinus privatis in ædibus, suisque sumptibus. Fuit enim receptus in collegium Hispanorum sequentis anni 1538. mense Januario, ut notavimus epist. ad Jo. Quadram.

^c Quod ait de rejectione ad Idus Octobr. ex eo intelligendum est quod Neapolitani Pro-Reges non solent iudices, auditoresque in tribunalia & urbes regni mittere æstatis tempore propter periculum aeris gravioris, & mutationis.

scribis te acceptis Hispaniensibus litteris huc cogitare, ut de mea, & Georgii Anguianique sententia vitæ tuæ rationem in eas: est nobis tam gratum, quam quod maxime. Itaque si commodum erit, ad tertium Calendas Junias ludos Venetiis spectabimus. Hoc interim spatium nos aliquid tuarum rerum ignorare tibi (mihi crede) erit turpe. De illa concionatorum disceptatione aliquid ascribito. Fuit enim hic non dissimilis contentio, dumque de voluntate libera, deque divina animorum commotione libera verba faciunt, loco temporique non serviebant. Quam epistolam Ruitio mitto, leges, & obsignabis. Georgius Vasquius, & Joannes Anguianus nostri te salutant, & a te litteras expectant. Vale pridie Idus Aprilis Patavii (MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

* Neapolim.

HAbes a patre, fratribusque tuis literas, quas attulit Solerius noster XV. Calendas Sextiles ex Hispania, qui ad te de toto suo itinere, & tuis rebus accurate scribit. A me id expecta solum, quod ad istas literas, quas ut volueras resignavi, attinet. Quæ mallem certi quid auxilii afferrent, quam totam tibi rem deliberandam committerent. Sed eos vides ignoratione tuarum rerum falli: nam neque de tua Neapolitana profectioem adhuc, neque quid reliquum sit sciunt. Quo eos errore & Venetæ literæ, & Petrus Seronus, quem hic Genua solventem vidit, liberavit. Et ad te quæ volumus, quamprimum mittent. Nam quod in eam sententiam videntur scriptæ, ut nihil in eorum præsidii spei habeas, id ita interpretor, ut tuo Marte potius quoad fieri poterit quæ eorū copiis rem geras, velint. Tibi enim existimant, caleat addere oportere: neque putant efferre domo pedem te audere, eis non præsentibus. Tu igitur in bonam partem omnia, & nihil aliud cures, quam valetudinem tuam. Cetera enim spero, & pene polliceor, ex sententia te confecturum. Vale. Bononia (MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

* Neapolim.

Misi ad te Ignigi Boleæ patris literas, post quas hæc solum digna, quæ te scire par sit. Dorus fidem suam liberavit, nam illos DCCL. HS. nummos Genua misit, cum ad Italicum exercitum cogitaret. His nummis satis mihi est præsidii ad illa minora pignora recuperanda, hospitemque, vel potius hostem nostrum placandum, meque sustentandum [b]. Sepulveda, & Sarzola in Hispaniam cum his literis, quas volueras, sunt profecti.

Sed obsecro te quid rerum geras, quantumque processeris, quamprimum fac, sciam: audio enim ad Idus (c) Octobris rejectos vos esse: neque id mihi est admodum molestum. Habebis ad prehensandum temporis satis, satis etiam ad periculum, si quod tui facere velis: & ut cetera desint poteris ad nos crebro Roma scribere. Ludovicus Sangeorgius heri rediit, quem non adhuc conveni, faciam post ali-

aliquot horas. Et si quid erit epistola dignum, huic ascribam. Patavio expecto litteras ridiculas, ut quas maxime, hujus argumenti enim ut scis, ab illis, quos Vazques Anguianusque mirabantur, comitiorum victoria: de alteris agi coeptum, quibus doctores dari debebant. Hic illi qui repullam tulerant, in quibus tuus *Ferreira*, alteram partem maximo conatu, infestisque prope signis vexabant: usque eo ut sint conati vim inferre suffragiis: nostris vero hominibus de nocte domum oppugnare adhorti sunt, hospitem ex *ἰππολύτῃ ξυλολότῳ* plane facere. Georgius lapidationem ex superiori domo strenue in hostes faciebat, simulque maxima voce modo fures, modo incendium, ut vicini praesto essent, proclamabat, Quid queris? In fugam sese illi dant, hi domo se tenent: cum ad comitia veniunt, ea diligentia usi adversari sunt, ut maxima frequentia evaserint superiores. Haec ego ab aliis novi; cum eorum literas accepero, erit quod rideamus, etiam in isto stomacho, quem crede faciunt ejus generis negotia, cujus tua sunt. Nostri Celtiberi sui sunt semper similes, & te salutant, Martinusque meus. Vale. XII. Calend. Octobris^a MDXXXVIII. Bononia Rod. Dorus te etiam atque etiam rogat, ut nulla a te sui fiat mentio apud Figueriam.

* Neapolim.

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

NON potui me ascribendo continere acceptis Hispaniensibus literis, & quod caput est, syngrapha non mediocri pecuniae, neque tam meretricule grata mihi mea de causa fuit, quam tua. Dolebam enim, dolebam, mi Bernarde dissimulabam quamvis (quid enim aliud facerem?) me, qui praesidio aliis, quos vix de facie noveram, fuisset, compulsus, ut te, te, inquam, idest, alterum me, vix possem teruntio juvare. Sed aeta, veteri proverbio admoniti, ne agamus. Aes alienum tuum omne dissolvam quamprimum. Ejus rationem explicatam mittito. Tu quid egeris, quidve speres confici posse, quaque velis libros mittendos curem, me facito certiore, quanquam extremum hoc posterius, illa quam citissime, quamque sapissime. Novi quidem praeter Caesaris podagram, cujus doloribus indigne cruciatur, illarumque legionum, quae imperium ineunte aetate reculabant, signiferi, & praefecti Mediolani in vinculis sunt. Quid eis futurum sit, nos later. V. Calendas Octobris. Bononia (MDXXXVIII.) Vale. Martinus tibi salutem dicit, & omnes nostri.

* Neapolim.

A. A. BERNARDO BOLEÆ * S. D.

JAM efflagitare vereor literas tuas. Puto enim tua maxima interesse nihil scribere, quoad aliquid confeceris. Faciam igitur id, quod reliquum est, dicamque nihil me aequè desiderare unquam, atque tuas literas; ea tamen inani spe teneor, quod parturiet mihi hoc silentium longissimas, creberrimasque literas, quibus de toto itinere tuo cum bre-

viter scripseris, negotiorum mihi molem istam ita explicabis, ut non narrare te, sed gerere putem. Jam vero cum iis explicandis tu tibi parcus, mihi nimium diligens visus fueris, extremum actum cum *Plandite*, ut spero concludes. Hic ego, qui id legens, spemque, metumque inter ero, gaudeam, triumphemque necesse est. Quas tum gratulationes? Sed quid ago? Adeone mihi apud te fumo, ut non aliter tecum, ac mecum loquar? Ignosces tamen, mi Bolea, & amoris erga te meo singulari haec condonabis. Patavinas literas, quarum in recentioribus meis (si modo ad te perlatæ sunt) mentionem feci, ad te mitto, ne quid a te ignoretur eorum, quæ ad tuos pertinent. Joannes Comillas Romæ est, quod indignum Collegio nostrorum amicorum Quignones censuit. Credo cum id gravius expostulaturum, quam ille qui tecum. Utrumque tu probe nosti. Sed quid Rivaflechia factum est? Ex Hispania nihil novi, neque est quod amplius scribam. Vale igitur, & ad nos crebro scilicet. Tertio Idus Octobris (MDXXXVIII.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ
PRÆTORI S. D.

TE, si in tua provincia es, ut spero, salvum venisse gaudeo, in qua velim crebras ad me des literas de rebus tuis provincialibus, neque vero excusationem illam accipiam, quod iis ipsis impediaris. Occupator enim erat M. Cicero in Cilicia, cui solus praerat pro consule & ad T. Articum sapissime (ut nosti) literas dabat accuratissimas. Hunc ne, quando aliis in rebus imitandum proposuisti, hac ipsa vince: percipio enim scire genus istorum magistratum & utendi rationem. Audio etiam in Sicilia judicare octoviros, quorum collegium magnam illic cohortem vocant. Quamgratissimum mihi feceris si eorum sumptus, laborem, mercedem perscripseris. Haec quo pertineant, nosti. Libros tuos vendendos curo modica, ut nunc se res habet, pecunia. Antonius Pius libens ad te proficisceret, si rationem itineris nosset, seque servaturum pollicetur, quæ Romæ est pollicitus. Jo. Auguianum cooptandum curo. Is adhuc Patavii est cum Georgio nostro. Sed ante duos, opinor, menses hic erit. Ludovicus Sangeorgius, & Hannibal Turrius in patriam reversi sunt. Franciscus Villanova, Magistratu functus, ad Magistratum, quem ei (vel potius Garcia Manrico) Pet. Toleus tuus promisit, cogitat. Lacuna restitutionem expectat. Petrus Domingues tibi plurimum salutis, a te literas petit, atque adeo flagitat. Ruitius Neapolitana negligit, ad Mediolanensia oculos adjecit. Salanar in Hispaniam mense Sextili. Jo. Scobar-tuus, est, ut dixi, tuus, qui Neapolim arbitror. Ex Hispania nihil literis dignum. Omnes nostri tibi salutem dicunt: Rocardus, Martinusque nostri maxime. Vale Cal. Martii (MDXXXIX.)

A.

^a Hoc anno 1538. mense Septembri duas Epistolas A. Augustinus scripsit Boleæ: hanc scilicet datam 12. Kal. Oct. & sequentem 5. Kal. quo tempore scilicet Bernardus Neapoli prensando magistratus tempus ferebat. Adnotare autem libet, hoc ipso mense dum candidatum ille agebat, rem admirandam accidisse. Obscurissima nimirum dies & atra caligo Neapolim circumvenit, ac pene funere cinerum involvit ex conflagratione terræ juxta Puteolos, ubi novus repente mons ex planitie quadam erupit die ipsa 30. Septembris. Qua de re vide Capacium & Sandovalium in Hist. Caroli V. lib. 24. §. 10. Observatum enim est annum 38. cujuscunque sæculi infantum terræ motibus Neapolitanis. *Paul. Tarsia in Hist. Neap. pag. 22.*

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Narro tibi, me post illas suavissimas litteras tuas, quas (a) Neapoli XIII. Cal. Febr. dedisti (quibus ευχαριστησια debeo) nullas accepisse tuas, neque a te solum nihil, sed nec de te quidem accipi. Quod si sine culpa tua factum est, ut pro tuo erga me amore existimo, operam des velim, ut ne unquam sit vel falso suspicandi locus culpam in te residere ullam. Ego quidem eo rarius ad te litteras do, quod qua, aut quo mittam nescio. Ea vero de causa do, quia malo tu tardius eas, quam nullas accipias, si modo accepturus sis. Sin autem ante interierint, quam reddantur, mihi metipsum me satisfecisse in maximo lucro pono. Sed de his literis hæcenus. Venio nunc ad Rodriguem meum, cujus epistolam ad te mitto. Is Castellanus ait, ad se scripsisse, te aliam ei mulam misisse, quam a Rodrigue acceperas, mirarique se si alia sit, cur quid ea factum sit, nos certiores non feceris. Sin autem eandem ipsam miseris, quam obrem ille accipere noluerit, totumque negotium per litteras explicare te cupit, in quam rem scilicet totus incumbet, neglecta Apulia tua, ut etiam in Dominguis Molonis nostri sollicitudine levanda. Cupit enim abs te cognoscere, dederisne Cortesio chirographum, acceperisque pecuniam. Illud etiam an ad ejus patrum litteras miseris. Qua de re ad te antea scripsimus, tuque, si hæc negligenda putasti, piget, & non satis officiosus fuisti. A Sora nostro habeo litteras ad XII. Cal. Febr. datas, quas noster Sepulveda attulit, quibus se tuas litteras expectare ait. Is non adhuc uxorem duxit, frequens, ut audio, in foro. Misit etiam ad me patris tui epistolam sua antiquiorem, qua sumptus filiorum enumerabat, quos tamen dicebat se negligere, ut morem nobis gereret. Ad quem ante hæc epistolam duas miseram, alteram, qua gratias agebam, quod magnum pondus meæ litteræ apud eum habuissent; alteram, qua gratulabar de magistratu tuo. Piolus noster fert optime tarditatem tuam, seque ut accersas, expectat. Dorus salutem dicit plurimam, & Celtiberi omnes. Sed quid mirum? Cum vel ii, qui te vix de facie norunt, te ament. Sed heus tu! Triennium ne, ut a quodam viatore accepi, istic eris? an, ut dicebatur, biennium? Martinus multum salutis, & Collegæ mei. Datæ Bononiæ (b) Nonis Aprilis (Anno MDXXXIX.) Vale. Rodrigues distulit scriptiorem suam in aliud tempus.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Ad hunc diem, qui est IX. Cal. Maii tuas litteras expecto, & quidem sollicitus, neque in quam rem conferam culpam, scio. Occupationes ne tuas? Quæ tamen tantæ, totque esse possunt, quæ non sint mei tuæ memoriæ posthabendæ? Sic enim mihi persuasi, te cum quis consulit scribentem ad me dicere, expecta amabo te, dum hæc quæ in manibus sunt, conficio. Illud nolim ominari, ut tuæ valetudini tribuendum sit. Sed potius tabellariorum aut inopiæ, aut perfidiæ. Quæ tamen cumque sit causa, acceptis his, ad me, si dignum tua

amicitia putas, scribes quid egeris isthic, quas litteras mihi miseris, ut pacatam, tuique amantem provinciam habeas, quis sit tibi collega: nam, quæ mea est (si Diis placet) tuarum rerum ignorantio, ne id quidem novi. Sed ridiculum est, me de collega laborare, cum de successore sit cogitandum. Denique me tuarum rerum provincialium certiorrem facito. Ego ex Hispania etiam litteras avidius in dies expecto. Romanæ autem nunciaverunt, Cæsarem, Ferdinandum Aragonem (Jo. Aragonis Antistitis fratrem religiosum virum, ex totius Citerioris Hispaniæ sententia, CæsarAugustanis sacris præfecisse (c), Loaisam Hispalensibus, cæteris cæteros minores Pontifices, quos tu fortasse natine sint, ignoras. Caroli ipsius uxor graviter laborat. Hæc igitur ætate *Cedant arma togæ, concedat laurea lingua.* Hic Alciatum inviti amplectimur; sed vale: & si litteras oblitus es, privatas rescribendi munus vel Antonio Regienfi tuo delega, cui salutem: omnes nostri tibi plurimam.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Si vales, bene est, ego quidem valeo, Vale. Quid enim aliud ad te scribam sexcentos jam annos silentem. Nam neque te nostra curare opinor; neque ut tua curemus velle, quod Apuliæ tuæ sine dubio tribuendum censeo. Legi enim nuper M. Ciceronis epistolam ad Valerium Jurisconsultum, in qua ita scriptum est: *Fac ut quamprimum venias, neque in Apuliam tuam concedas, ut possimus saluum te venisse gaudere. Nam illo si veneris, tanquam Ulysses cognosces tuorum neminem.* Cum hoc legissem, tetigit subito animum meum hinc illa oblivio, hinc illa contemptio. Quod si cognovissem antea, quidvis aliud potius, quam eam tibi provinciam optassem, & te adeptum esse non gratulandum, quin dolendum potius, putassem. Hos tu ludos putas, ego seria credo, & ludi sint cupio. Cujuscumque tamen sint modi, velim estimationi tuæ, & dignitati consulas. Non enim tam mea de causa laboro, quamvis huic nescio an addi quicquam possit, quam quod sint, qui te ingratum, & inofficiosum dicant. Equidem cum te his rebus abesse longissime sciam, tua interesse interpretor silentiam tuam. Neque quod tibi in rem sit, potest mihi non esse jucundum. Id autem moleste feram, si tu commode facere poteris, & ad me scribere neglexeris. Quod ne fiat a te etiam atque etiam peto. Vale. VII. Idus Maii Bononia.

A. A. BERNARDO BOLEÆ
IGNIGI F. S. D.

ME tuam excusationem accipere, tuæque veris suavitatis plena epistola delinitum esse, signum tibi sit me hoc genere literarum uti, namque cum aut dolore, aut metu, (non enim dicam iram, quæ adversum te nulla in me esse potest) commoveor vehementius, excidunt illa omnia, quæ aliquando didici, aut studiis nostris assæcutus sum, & in nostratem patriam linguam labor. Neque hæc est M. Ciceronis imitatio, quæm video in illa

a Erat igitur Neapoli Bolea mense Januario anni 1539. b Ita enim scriptum in MS. exemplari.
c Die 20. Martii anni 1539. *Mayans.*

illa ante exilium oratione, quam ineptus, quam infans fuerit. Sed quod minime, mi Bolea, sapientes fumus. Tu vero, ut qui maxime, qui tam æquo animo, ac leni, meam importunitatem tuleris.

Quod scribis, ut te, si commode facere possim, visam antequam discedis, facerem, si aut tu propius nos abesses, aut ego in ea difficultate nummaria, in qua sum, non essem. Qua tamen me pecunia tua nonnihil sublevavit, & Antonium nostrum mendicitate liberavit.

Nunc vero venio ad id quod jucundissimum tibi fore certo scio; quod ea epistola, quam cum altera Jo. Scobaris per Valerium Morilium, & Hieronymum Infaustem, ad te nuper misi, significabam Isabellam sororem germanam meam, ducem Cardonensem factam, marito Cæsaris avunculo, sene illo quidem, sed de quo si filium pepererit, maximus splendor, maximæ facultates, nomen etiam maximum nostræ erit familiæ, quod tamen hac ipsa re amplius factum te (opinor) gaudere.

Sed quoniam nuptiarum memini, nostrum Soram Azpeitæ filiam bona conditione duxisse antea ad te scripsi. Qui post eam epistolam, qua me ejus rei certiore fecit, & ut te facerem, ante annum (ut opinor) rogabat, nullas ad me misit. In Celtiberia proconsule, idest, pro Cæsare Petr. Luna est Jo. Lunæ, qui Ethruscis militibus præest, frater. Ugo Urries fratris mei focer filium minorem Hieronymum cum Cæsare misit, ut suo munere fungeretur. Franc. Lobus Idiaques, & Jo. Valques, ipsi in Hispania emeriti quodammodo. Ramus ille, qui citerioris Hispaniæ negotiis Cæsaris Consiliarius præerat, Vaguerium Toletanum Inquisitorem tantisper munus suum obire passus est, dum Michaeli filio id servandum curat. Sed ad mea redeo. Gar. Albanellus avunculus meus de mense Majo Boslanus Pontifex a Cæsare appellatus est. Quæ malum, inquires, Boslæ iste sunt? Nomen audivi nunquam. Ego quidem vix tandem didici in Sardinia, pestilenti illa provincia, esse, & ad D. aureos nummos fructus ejus sacerdotii æstimari.

Antonium Isarem fratrem tuum audio superiorem Campaniæ partem toeri, & uxorem duxisse nobilissimam Romæ, ei est Ruitius noster a Gun. Paternojo in Hispania commendatus, & huic ab uxoris propinquis a te peto ut honorificentissimum testimonium literis accuratissimis consignes, ejus & probitatis, & doctrinæ, & amoris: vix enim credas, quam ille me, meaque omnia observet, & diligat, teque amet, optima quæque carissima habeat. Poterit ejus, in minoribus magistratibus, quos Antonius frater, aut civitatibus, aut toti jurisdictioni præficit, rationem habere. Hæc ego ad te, incio Ruitio, scripsi, ut me putes ex animo loqui, cujus officii creberrimis, & maximis deductus sum ab ea sententia, in qua, dum aderas, tecum eram, ut cum levem hominem existimarem, quod esset acutior, & promptior, quam Jurisconsulto opus esse videbatur. Is nunc suorum studiorum specimen dare ante paucos dies cogitat, quod Lacuna meus collega non imperite nuper fecit.

Sed heus tu, quam rationem vitæ cum e provincia decesseris, sequeris? Nam video ad ea, quæ cogitavimus satis per arcam non esse de domum

itione. Prensandum igitur iterum? & ad illam feritatem redeundum? O tempora perditæ, mores corruptos! Ego vero quoniam arbitrata fratrum mihi vivendum est, eis omnem curam reliqui, totusque in studiis meis sum, civilibus scilicet, & hisce humanioribus, in quibus neque Græca omitto, neque a Musis sum alienus omnino, quas vel ad plebeja verba deduxi. Musicæ præterea vocem exerceo, fidibus discam cum in illo genere satis ero versatus, ut & te imitet, & habeat Themistocle Doctior, & Socrate adolescente, quorum alter, cum in convivio lyram recusasset, indoctus existimatus est, alter senex ea canere coepit. Sed ego omnia confeci, quæ a me expectabas, præter illa, quæ ad Georgium, & Joannem nostros attinet, qui Patavii adhuc sunt, ad nos post paucos menses venturi, ut alter a nobis cooptetur, alter Romam tandem redeat. Tuam syngrapham mercatores agnoverunt, a quibus post has ferias nummos exigam. Martinus, Alcaguicense collegium, & Scobar, cæterique collegæ, Hannibal etiam Turrius, tibi dicunt plurimam salutem. Vale. Bononiæ Sexto Calend. Aprilis (MDXL.)

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Rescripsi sæpius literis tuis, quarum vix exemplum accepi. Erat quidem id maximi amoris signum curare, ut quas literas confirmandi nostri amoris causa, ut ego existimabam, aut, ut tu reconciliandi gratia dabas, quamprimum acciperem: vici tamen ipso officii genere te, cum illi ipsi epistolæ multis meis respondi: vereor tamen, ne perlatæ non sint, quando in odiosum illud vetus silentium recidisti. Quamobrem his literis excitare, vel potius incitare currentem ut spero putavi. Has Venetiæ ad Pet. Oseam meum mitto, qui te salvum Neapoli vidisse scripsit, audisseque ea de te a domesticis Toletanorum, quæ & a Franc. Grasserio libentissime ante audieram, & semper tui omnes expectabimus. Adscripsit tandem, se ab eisdem Toletanis accepisse, Kalendis Januariis te ad consilium illud regium Campanum venturum. Quod velim ita fiat: habet etenim amplitudinem dignitatis majorem, quam ista provinciæ regendæ ratio. Propius tamen est, ut credam te susceptum iri Lud. Noguezæ nostro, cujus mortem gravissime tulimus. Quod si fiat, ineunte te vere visam. Antehac enim, ut volebas, non potui, quod longissime aberraret, ut me Neapolim magistratus gratia proficisci putarent, & quod viatico (quod caput erat) carui. Nolim tamen, vel vere dicam, velim id te moveat ad illam potius provinciam petendam, quam aut aliam provinciam, aut Neapolitanum Concilium. Quicquid autem egeris, tibi faustum felixque sit opto. Interea frequens, si me amas, in literis. Quod te facturum polliceris: quando tamen? Jamne oportuerat tuam fidem liberare? Ad mea studia venio, quæ tibi curæ esse certo scio. Est etiam quod ad te pertineat, cum enim aliquando cum Hieronymo fratre de meæ vitæ ratione per literas agerem, petiit is a me ut conscriberem aliquid, quo meorum studiorum fieri certiores possent ii, qui magistratus in Hispania deferunt. Ego vero invitus coepi, quodque præ me semper tuti, bonis litteris Juris no-

nostri scientiam conjungere, Dialogis aliquot quæstiones, acriter a nostris doctoribus disputatas, conscribo, quibus mei mediocritatem ingenii invenendis, collocandisque, & diluendis argumentis, cognitionem latinæ linguæ, si quam habeo, exoranda quæstione, & ad Tullianam, Socraticamque imitationem deducenda (quoad per me fieri potest) ostendo. Si quæris qui cum in his disputem: Tecum primum, cui magnam eorum partem debeo, cumque Ruitio, & Sora opinor, condiscipulisque aliis meis, qui post tuam professionem Bononiam, inque meam venerunt familiaritatem. Quæ cum confecero perpetuam unam, aut alteram interpretationem sumam. Insanire me dices, scio; eam autem solam ob rem non insanio, quod se esse sanos insani credunt, cum ego me dementem existimem. Morem tamen Hispanis hominibus gero. Neque tamen me putes edere vulgo hæc, non enim tanti est, quod ambio. Quanquam nullo negotio peccati adolescentia veniam impetraret. Præstat tamen non peccare pudori. Sed cur ego tamdiu de nugis? Illud (opinor) libenter audies, Isabella soror prægnans iterum est, paucis enim post nuptias mensibus abortum fecit. Nunc ducem se Cardonensibus parere expectat. Georgius noster Patavii doctor appellatus est, post annumque se Romam rediturum scribit. Cupit is (ut quibusdam conjecturis ducor) lites audire Pontificias ad illam nobilem rotam. Sed ego sum tibi, præsertim occupato, molestus his longissimis literis, quibus vel otiosis esse possem odiosus. Quare vale, & me, ut semper, ama. VII. Iduum Octobris.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Sæpe scripsi ad te posteaquam tuas suavissimas literas accepi. Jo. autem Scobari nostro Neapolim proficiscenti non potui non has literas dare, ut si ceteræ fato quodam meo perierint, hæc diligentia Scobaris reddantur. Quodque ego non minoris, vel potius pluris facio, ut a te is literas extorqueat (sic enim dicendum est in ista tua negligentia). Eas autem expecto avidissime, ut qua vitæ ratione tibi tuo functo munere provinciali utendum sit, cognoscam. De me ita existima, captum esse studiorum ipsorum dulcedine, ceteraque fastidire nescio quomodo. Quorum inquires studiorum? Omnium plane, sed domesticorum præsertim. Scis me insanire cœpisse, & nostros sermones Socraticis, Tullianisque opponere, versibus etiam uti, Ruitii nostri æmulum, quæ omnia mihi dulcissima, vocum lyræ, tibiarumque cantu condio. Adde Græcæ linguæ, librorumque legendorum, quam nosse cupiditatem. Quas tu mihi *μακάρων* insulas his delitiis præpones? Quæ regna ista tua judiciorum? Sed vereor ne meæ (ut ita dicam) beatitudini invidus ea jucunditate, quam ex tuis me literis percipere cognoscis, fraudes. Quare temperari jucundum hunc statum scias quibusdam ineptiis eorum hominum, quibuscum viveret Sora tuus, si Bononiæ ad hunc diem mansisset. Huc accedit fratrum meorum aut negligentia, aut avaritia, per quos, ut æs alienum meum non nihil me conturbet, factum est. Nostri valent & hic & Patavii. Quanquam Jo. Anguianus major Romæ e vita discedens Pontificiis maximo lucro

Tom. VII.

fuit, filiis fratrum dolori ut vel alienissimis. Sed ad te redeo. A te etiam atque etiam peto mi Bolea, ut me de tuis rebus certiore sæpe facias. Nullam excusationem accipiam, quippe qui tuam in respondendo, judicando, decernendo facilitatem cognosco. Nihil gratius facies. Scribe igitur, vel potius scriptura. Martinus tibi salutem dicit, totumque Alcagnicentis collegium. Vale Idibus Novembris.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Vulgari quodam, neque ingenuo timore has ad te literas dare veritus sæpe sum, vicit tamen me meus erga te amor, neque potui officio deesse, ut tu me, semper esse voluisti, tibi amicissimi. Nam si a te hic nuntius sine auctore esset & capite acceptus, multo majorem tu plagam acciperes, quam si totam rem ab familiarissimo tuo, quem non minor (mihi crede) dolor angit, & cruciat, ita, ut gesta est, perspexisses. Sed te suspensum excrucio. Ignigus Bolea pater tuus, optimus vir, Cæsaraugustæ ad decimum Calend. Novembr. cum ante septem dies Numantia reversus esset, sanctissime, ut vixerat, mortem obiit. Accipies (scio) si quis unquam, maximum dolorem, & accipias censeo. Neque enim meliori patre orbari poteris, qui te tot annos aluerat, rexerat, opibus, consiliis in eum statum, in quo nunc es, splendidum atque amplum deduxerat, cui gratiam referre optabas. Quanquam eam referes tu quidem cumulatissime vel mortuo, si me post multas lacrymas, quas te nunc opinor effundere, audies, vel potius te ipsum erecto tandem aliquando animo. Neque enim tibi perpetuo illa excident ex animo, quæ te solere in ejusmodi genere cum aliis communicare testis sum, prudentissime sanctissimeque ex variis divinæ humanæque philosophiæ libris sumpta. Homines mortales esse, eorum vero animos immortales, quos is Deus, cui cuncta parent, in corpus quasi in carcerem incluse-rit, nulla eorum pœna, quin potius ut ad perpetuam illam atque divinam domum bene gestis rebus humanis redire mererentur. Esseque hominum invidorum, eorum affligi statu, qui multis illecebrarum undis labefactatas naves, cum in portum rejeksi sunt optatissimum, reliquerunt, & ob nescio quod ineptum desiderium malle nobiscum versari eos in omnium rerum perturbationibus, quam curarum partem, ut oportuerat, abicere, cum eos, quos caros habemus, transisse commune periculum videamus. Hæc, atque hujusmodi non pauca abs te didici. Quibus ni ad tua vulnera uteris, næ tu eris medicus contemnendus. Sed constituet sane modum ante prudentia tua tuo dolori, quam tempus, quod omnibus rebus humanis finem constituat, necesse est. Et tu ad ea revertere præclara studia, virtutes illas, illas singulares clarissimi viri patris tui semper ante oculos habens, quarum imitatione optime de eo absens, meritis coram præsentem postea videbis apud eum, qui talem tibi parentem dedit, illi te talem filium, cujus numini parendum est libenter. Neque enim imperiosus dominus est, ut ei inviti morem geramus, sed mitissimus parens, cujus jussa demens est, qui non libentissime suscipiat. Sed quid ego? Ignosces mi Bolea impudentiæ meæ, quod ad te, qui consiliis, prudentia, ingenio tantum vales, quan-

V

quan-

quantum scio neminem, consolationem quodammodo commenter. Quamvis hæc ad fervorem tecum tuum excitandum, cogitationemque harum similitumque rerum commovendam scripsi. Nunc te interpellare nolo. Tantum peto, ut cures te tibi constare, audiam, ne qui in variis rebus tuis semper animi moderationem omnibus probasti, acerbissimum casum intemperantius ferendo mobilior fuisse, & mollior videare. Cura ut valeas, & me ames, & tuarum rerum certior per Scobarem nostrum facias. Idibus Decembris Bononiæ. Vale.

A. A. BERNARDO BOLEÆ S. D.

Nihil potuit mihi accidere jucundius, quam accipere eas literas abs te, quæ tuum Neapolim reditum nunciarent, atque ab eo accipere, qui minutatim tua omnia explicaret. Gratulor itaque tibi, quod dignitatis tantum de provincia detuleris, quantum qui te semper amavimus, cum illo proficisceris, optabamus. Nobis autem & gratulor, & gaudeo, quod eo loci in maximis honoribus futurus sis, ubi tecum colloqui, per literas frequentius licebit. Atque ut intelligas sollicitudinem meam, dum tu invitatus tacebas, mitto ad te eas epistolas, quas scripsi post professionem tuam, quæ ut opinor, nunquam delatæ ad te sunt. Negligentiores, vulgaresque rejeci, quod ejusmodi describere non soleo. Tu velim ad me exempla tuarum literarum, si quæ habes, mittas. Georgius noster Roma Dialogos duos tibi perferendos curabit, in quibus nihil invenies te lectore dignum, ut laudes; erunt tamen (scio) fatis multa, quæ reprehendas, de quibus mihi quid sentias, explicabis. Cum his quoque literis carmina habebis, quibus ego varie lusi, dum otiosum esse nescio. Quæ tamen omnia ita leges, ut tua, namque pro nostrorum animorum conjunctione nihil sit inter nos oportet, quod utriusque non sit. Ego post paucos (ut existimo) dies doctor appellabor, qui nunquam habui, habiturusve (a) ium discipulos. Idem & Ruitius & Solerius nostri consecuti sunt, alter ut cum præceptoribus suis disputet his feriis, alter, ut in Hispania, quo redire quamprimum cogitat, ad religionem eas gentes concitet majori auctoritate. Adjeci autem ipse oculos ad ejusmodi magistratum, cujusmodi est (b), quem tibi parari Jacobus Albion nunciavit, quamquam illa carnificina exhorrenda est, sed tamen si non aliter licet, superiora subsellia adipisci, ferendum est. Quod si putas mihi honori futurum, aptumque esse meo instituto, facias me certior totius & oneris, & auctoritatis, & sumptuum, & commodorum, quaque ratione, quoque tempore impetrari

queat. Me existimabo felicem si te habebo admonitorum & reprehensorem earum rerum, quas in primo geram magistratu: beatum si tecum iterum licebit frui tua jucundissima consuetudine, in quo tanquam in speculo, quid me dicere, aut facere oporteat, videam. De nostris Collegis id solum novi, Georgium Turrium præfectum Calend. Maii collegio fuisse. In Hispania abortum Isabella soror fecit octavo mense, quodque dolendum maxime fuit, infantem tum edidit puerum. Sora noster raro ad me scribit, cum scribit tamen, solet dicere, mirari se, quod Casaraugustam nullas mittas literas. Atque is & Gamirus meus maximam legulejorum in ea esse urbe frequentiam dolent. Sed cur ego tam multis? Ei præfertim, qui quasi Spartæ civis duobus solet versiculis ad me dare literas? Vale igitur, & crebro ad me scribito, vel quicquid in buccam venerit. Tertio Iduum Maii Bononia (anno MDXLI.)

Cum hæc scripserim, quæ legisti, venit ad me Hannibal Turrius tuus cum literis, quas Patavio attulerat ab Jo. Anguiano ejus sodali, quibus scriptum erat illum quamprimum ad me venturum. Hannibal autem ipse, cum ei equidnam tibi vellet renuntiari curarem, dixisset, me (inquit) perpetuum erga Boleam amorem retenturum. Ego utrumque tibi esse charum scio.

A. A. MATTHÆO PASCHALI (c) * S. D.

Literas tuas accepi, quibus dupliciter sum delectatus, & quod tuæ erant, & quod quotidie magis perspicio, me tibi esse charissimum. Quod scribis te minutatim velle totum docendi horum Jurisconsultorum modum cognoscere, etsi scio hæc magna ex parte nota tibi esse, tamen obtemperare volens, ea, quam potero, paucis perstringam. Plura expectato, cum nactus plus otii fuero. Pauli igitur Parisii, horum omnium (ut ad te antea scripsi) facile principis, institutum hoc est. Primum si quid caput illud legis, quod interpretandum voce sumit, materiæ suæ, quæ ab illis qui calamo eam sunt interpretati, desiderat, sine disputatione, ut artis initia, docet. Deinde ipsa legis verba aggreditur, quidque ea significant, declarat. Mox interpretantium, quid quisque rectius sentiat, quidque illum moveat, ut ad has potius, quam ad illas partes accedat, doctissime, ut omnia, differit, quod hoc exemplo manifestius fiat. Finge illud Pauli responsum, quam legem esse Justinianus voluit *, *Re conjuncti videntur non etiam verbis*, nostri reliqua, in manibus esse. Cujus interpretes disputant, verbis tantum conjuncti, re solum junctis præferantur,

* *Re mam.*

* *L. Re conjuncti. 89. D. de legat. 3.*

^a Fuit igitur doctor sine discipulis, sed non sine libris, ut ille de quo jocatur Uden. Nisidinelli Progimnastri Poerici vol. 4. p. 184. ^b Et quem re ipsa collatum fuisse Bernardo constat: Nam judex vicariæ criminalis, quam vocant Neapolitani, quamque carnificinam exhorrendam Ant. Augustinus dixit, creatus est Bolea postquam civilis Rotæ Judex fuerat, eoque munere functus est usque ad annum 1544. Tunc enim Regens Vicariæ electus est ab inclyto D. Petro Toletano: Tum Præses Regiæ Cameræ, ac mox Regens Cancellariæ, Consiliariusque collateralis.

^c Fuit hic Matthæus J.C. Aragonensis doctissimus, Ecclesiæ Casaraugustanæ Canonicus, lites habuit plures, quarum causa Romæ vixit, ac devixit, anno MDLIII. sepultus in Ecclesia S. Joannis Lateranensis cum sequenti Epitaphio, quod ipse sibi composuerat.

Semper in adversis vixi, genus omne malorum

Expertus, quorum non fuit ulla quies.

Nunc morior, nunc finis erit, nunc ista valebunt

Quod super est, animam suscipe Christe meam.

Fuerat amicitia non vulgari junctus Claudio Tolomeo, illi de quo scribimus Notis ad Epistolam Ant. Augustini ad Jacobum Rogiam. Itaque Paschalis doctrinam & probitatem celebrat Claudius in Epistola ad Ludovicum Lucernam, quæ extat lib. 7. Epistol. Italicarum edit. Venetiis primum MDLXXVI.

tur, necne, quidque horum legislator fenderit. Accursii Bartolique sententiæ recitantur, quibus multum tribuamus licet, non tamen adeo eorum nos autoritas frangit: ut ne plebejum (ut sic dixerim) legulejum aliquem audiamus potius, si nos ratione moveat. Hic Parisius omnium sententiis ita ab eo dictis, ut propemodum ille ipse, quem refert (a), esse videatur, unam sibi defendendam eligit: pauca de suo addens. Quod reliqui (non) faciunt, qui non quæ in rem auditorum sint, sed plausus querunt. Quibus quid in republica nocentius! Quid enim aliud desideres (b), si legum, interpretumque sensa calleas? Quanquam qui cum loquor? Nonne eo, qui tum divini, humanique Juris scientiam tum discendi artem novit? Tacendum potius est, quam sus Minervam, ut ajunt. De his igitur hæcenus. Quod reliquum est, valde te amo quod meas in Hispaniam literas, tuasque commendaticias Cæsar-Augustam miseris. Libros quos dicis, novissimas quosque curas censeo, Græca restituta esse illis in locis, quos scribis, sexcentisque aliis*, Guil. Budeo, Andr. Alciato acceptum referimus. Parisius ad vos cogitat, quod sub Camera paucas audire, quam a tanta auditorum frequentia audiri mavult. Extra jocum male nobiscum agitur, quisquis sit ille qui succedet, uno alterove excepto. Sed hæc Deus viderit. Tu vero mi Matthæe quæ isthic noveris ex Hispania, ac ubi habites, cæteraque, quæ putaris me scire opus esse, perscribito. Vale, & me, quod facis, ama. Bononiæ Idibus Aprilis (anno MDXXXVII.)

* *Ro-* A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D.
mam.

Superiorem epistolam discendi cupiditate magis adductus, quam quod aliquid me Latine scire putarem, ad te dedi, quam gaudeo tibi probari; quis enim non a laudato viro, ut ille ait, laudari se lætatur? Nimum tamen mihi sumerem, si non te per jocum (sic enim accipio) quæ de meis reconditoriis literis, tuoque rescribendi pudore ascribis, dixisse crederem: nam unde mihi homini Hispano, & a

teneris (ut ajunt) unguiculis Jurisprudentiæ ut nunc est, studentis, literæ illæ, quæ otiosos, totosque homines desiderant? Quod & tu vides, & significas. Ego quidem tenui antiquitatis umbræ persecutione contentus latinitatis sacrosanctum ararium alios habere facile patior. In id namque incidimus temporis (c), ut eos minus peritos juris esse, apud quos humanarum literarum magis sit, vulgo putent. Quamobrem neminem (unum alterumve excipio) me earum studiosum esse, scire velle, signum tibi sit, tuum nomen patrio sermone his & superioribus literis ascriptum. Quod vero prior te ad scribendum excitarem, discendi amor, ut supra scripsi, in causa fuit, elicere enim a te doctissimam epistolam, id quod sum affecutus, desiderabam, & quamquam amoris, suavitate, gravissimis verbis, & sententiis plena esset, hæc ex parte eam non probavi, quod vellem etiam hoc amplius addidisses, aliquid in mea esse, quod non aures tuas impletet. De libris comperi a Francisci Fradini librariis, Lugduni ante annum (d) conscriptas Pandectas Juris, quaternis aureis nummis venire: Cætera vero Justiniani volumina ternes. Guillelmi Budei nuper liber, qui inscribitur, *De transitu Hellenismi ad Christianismum* est editus (e), in pretio* adest. Ac si quid ad te, Annæi Senecæ, quæ exstant opera, ope & consilio Ferdinandi Nugnis, qui se Pincianum nominat, Salmanticæque commoratur, mendis vacante, venalia sunt. De meo Parisio ita habeto, hominem esse exacta ætate (f), ac bene nummatum; quæ res eum, ut in purpuratorum collegium cooptetur, valde juvant; quod ille quidem facilius sperat, si quod ferunt, Cameræ Auditor, ut vocant, CCCC. HS. eum sibi locum a Paulo Pont. Max. mercatus est. Itaque usque ad Kal. Junii, ut cum S. P. Q. B. pepigit, hic erit, postea ad urbem. Hæc te jam isthic scire putavi, qua de causa brevius, quam opus erat, scripsi.

Magna sumus in expectatione Andræ Alciati, qui acceperit (g), nec ne conditionem, quam Petrus Paulus Parisius habebat, hique obtulerunt,

Y 2

igno-

* Refert, nomine scilicet, ut sit alter Paulus J. C. Romanus, quem, ut & Scævola, & Ulpianum ævi sui principes appellavit Modestinus in l. 13. de excusation. tut. Sed quamvis adeo laudet Augustinus Parisium, Alciatus tamen vitium ejus in explicando Jure ut & aliorum Professorum ita expressit emblemate XCVI.

Moris vetusti est aliqua professoribus

Super adici cognomina.

Faciles, apertosque explicans tantum locos

Canon vocatur Curtius.

Revolvitur qui eodem, & iteratque nimis

Meander, ut Parisius.

Obscurus & confusus, ut Pico fuit

Labyrinthus appellabitur.

Parisium hic intellige Paulum, idemque de Pico, qui fuit Alciati præceptor, ut ipse meminit Dispensation. lib. 4. c. XIX.

b Desiderasse tamen postea Ant. Augustinum nonnulla in suis præceptoribus constat ex præfatione ipsius ad lib. 2. Emen-dat. ubi de Parisio, Alciato, cæterisque præceptoribus suis inquit: „ Qui omnes in omnibus interpretum libris declaran- „ dis versabantur, quod mihi cum illis operam dabam, probabatur, cum ab eorum Scholis discessi, nescio quomodo non „ optime factum videbatur“. Sententiam igitur de tota hac re forte explicaverat plenius A. Augustinus in libello *de ratio- „ ne docendi & discendi Juris*, quem MS. in bibliotheca sua servabat Matrini nobilissimus J. C. D. Joannes Solozanus.

c Similis locus Joannis Genesii Sepulvedæ lib. 5. ep. LXXII. de obrectatoribus suis lectus quidem dignus. His adjungi potest epistola Petri Marca ad me scripta cum illa Cardinalis Polo ad Sadoletum. Item epistola contestabilis ad Brocensem, Ripamontii lib. 1. Philipp. 2. Lud. Vives de corrupt. discipl. d Hujus anni, nempe 1536. editionem Pandectarum nondum vidisse mihi contigit. Sed vidimus editionem Digestorum triennio post, idest, anno 1539. factam Parisiis tribus tomis cum Glossis Accursianis apud Francisc. Regnault, opera Joannis Hucherii * Verroulensis.

e Scilicet Parisiis anno 1534. postea vero ibidem iterum excusus anno 1556. f Petrus Paulus Parisius Cosentinus Auditor Cameræ Apostolicæ factus a Paulo III. Rom. P. anno 1539. mox Episcopus Huscanus, ac vertente anno 1540. Cardinalis tituli S. Balbinæ creatus est. Plura Ughellus *Italie Sacre tom. 7. p. 354.*

g Accepit utique, ac venit Alciatus Bononiam mense Novembris hujus anni, & Parisio susceptus, de superiori loco docendi personam sustinuit, accitus insigni honorario, princeps cum esset ejus ætatis antecessorum, ut Andr. Schottus edidit in Vita Ant. Augustini: *toto presente 40. virorum Senatu, ejusque fortunæ effasit omnium suffragiis cumulante*, ait Jo. Imperialis in *Museo Historico pag. 51.*

* In
прошрри
еб.

ignoramus. Si non venerit, actum est. Jo. Villalpandus optimus Medicus, hic est, quem non adhuc tuo nomine salutavi: faciam cum primum per occupationes potero. Per eum nostrum inter nos epistolas ire noli; recta enim ad nos, si tu ut antea scripsi, qua in via habites, perscripseris, mihi que tuas in Hispanorum collegio dandas ascripseris. Et ita familiarem nostrum sermonem in alienas manus devenire cavebimus. Habes ad omnia. Tu ama nos, & vale. Datum III. Kal. Maii, Bononiæ (MDXXXVII.)

* Ro-
mam. A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D.

NUdius tertius accepi Roma a Gregorio Xaramillo nostro literas. Primum miratus sum quod non etiam a te; solvi, legi, de te ne verbum quidem, mearum literarum nulla mentio; exclamo pro Deum, hominumque fidem! Quod genus hoc hominum est? Qui sibi me pro ridiculo putent! Omissis joco moleste mehercule tuli. In magna enim eram expectatione doctissimæ (pro tua summa eruditione) alterius epistolæ, tuasque miniatulas ceras, ut quæ maxime expectabam, vel, ut ingenue loquar, extimescebam. Quæ cum me spes fefellerit, si non altero tanto longiores mihi miseris, te & jure manu confertum, vocare mihi est in animo. Quod si judicium subterfugeris, causa cadere timens, non epistolis te, sed voluminibus obruam: quare si sapiens mei, mucronem styli timebis, mecumque quamprimum longissimis literis transiges. Villalpandus tuus te salutatur, salvumque venisse gaudet, tibi que se scripturum pollicetur. Novi quidquid? Etiam: nuntiatum mihi est maximum latinæ linguæ thesaurum inventum esse a Gallo nescio quo. Quod ad me attinet, si toti Doleti Commentarii edentur: cæteros puto sibi ac musis canere. Earum literarum, quas credo ad te non esse redditas, exemplum mitto. Bononiæ ad XVII. Kalend. Quintilis (MDXXXVII.) Vale.

* Ro-
mam. A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D.

Accepi tandem binas a te literas, cum duabus Petri fratris fasciculis, quos si non tibi precatos paravisses, iracundiam exercuissem in te meam. Occupationibus maximis scriptionem tuam impediri moleste fero. Bono tamen patiar animo, si cum erit otium, longiores ad me epistulas, vel per me Hispanie miseris. Quod enim ex tuis potissimum cognoscere volebam, meas ne in Hispaniam, & quando, & cui dedisses, es tu plane oblitus me certiore facere. De syngraphis gratum. Earum priore ad libellum fuit satis mihi factum, agnosco tamen diligentiam tuam. Postridie Kalendarum scito hic bicipitem esse puerum natum, altero capite subnigro, idibusque lapides ovo quamplurimos majores pluisse. Quid hæc sibi portenta velint, Ethrusci viderint. Ticini tumultuari, Alciatumque ad nos cogitare rumor fuerat, creberille quidem, sed

^a At non mense Septembri, sed ad IV. ^b Ita fecisse eum ad IV. Cal. Novembr. constat ex epist. ad Boleam 1. & epist. VII. infra. ^c Mariano Socino JC. Paulum Parisium præferebat Ant. Augustinus, quamvis Marianum optimum longe præceptorem post homines natos appellavit postea epist. II. ad Boleam, & rursus infra epist. 9. ad Paschalem. ^d Profectus utique est Ant. Augustinus post biduum quam hæc scripserat. Sed paucos post dies Alciatus venit tandem Bononiam, ibique dum profiteri inciperet frequentissimo conventu III. Nonas Novembris MDXXXVII. orationem illam habuit, quæ & hodie legitur tomo ejus operum IIII. Recte igitur Augustinus epist. II. ad Bernardum Boleam data Kal. Decembris hujus anni, de Alciato ait, Jam enim istic esse pro explorato habemus. Sed per novam Jurisprudentiam quid intelligit Ant. Augustinus?

jam videtur factus esse raucus. Ego mense Septembri (^a), si hæc fuerit a nobis spes sublata, Patavium proficiscar (^b), ut Socinum (^c) Juris omnium consultissimum (Parisium unum excipio) audiam, Lazaroque Bonamico Græcis in literis doctore utar: nosti opinor hominem: hoc unum moleste feram in hac peregrinatione, quam cogito: necesse est, non posse nos (ut adhuc fecimus) ad manum tabellarios habere. Fruamur igitur hoc literarum bono dum licet. Vale XVII. Kalend. Septembr. (anno MDXXXVII.) Bononiæ.

A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D. * Ro-
mam.

EXpectanti mihi literas tuas, fuit nuntiatum tabellarios isthinc in Hispaniam esse profecturos, statimque eas literas, quas cum his accipies, ad Petrum fratrem scripsi; tu eas (si me amas) cum tuis mittes. Librum, quem ut perquirerem, mandasti, omni a me diligentia, curaque adhibita non potui invenire. Si Florentinus ille peractus adriferit, nihil mihi erit antiquius, quam ut quamminimo tibi stet, me curare. Gregorium nostrum salvare jubeas (si modo isthic adhuc meque ad eum unas alteras misisse literas, quas velim accepisset, dicit). Quod si in viam se dedit, an reddita ne ab eo mea ad te epistola, quove profectus fuerit die, me certiore facito. Hoc amplius ubinam habites fac sciam, maxima enim me molestia per alienas (manus) literas mittendi liberabis. Pontificem Max. ad nos cogitare audimus. Mihi id tam non fit verisimile, quam illud credo, de quo etiam hic rumor est creber, Cæsarianos Pignarolum, Cisalpinæ Galliæ oppidum, vi expugnasse. His de rebus, quæ etiam Cæsar, quid Turca rerum gerat, si ad me accurate scripseris, erit mihi quam gratissimum; cum enim hac Xaramilli nostri opera hac in re fuerim usus, tenebræ mihi erunt, quoad tu tuis literis lucem attuleris. Petrus Bemus vir doctissimus, epistolarum, quas Leonis Pont. Max. nomine conscripserat, volumen edidit, opus multis ingenii luminibus litum, Pontificiæ cohortis hominibus propemodum necessarium. Jo. Villalpandus tibi plurimam salutem dicit. Vale IIII. Idus Octobris [MDXXXVII.] Bononiæ.

A. A. MATTHÆO PASCHALI S. D.

Commodum ad te dederam literas, ecce tibi tuas, quas pridie Nonas dederas, accepi. Quibus quod Pontifex Max. huc cogitare dicebas, fuerat per mihi jucundum. Sed illa fefellit spes. Dominicus Molo tuus se tibi unam & alteram misisse epistolam dicit, ad quas te de Aristotelis libris allego. Alciatus plane decepit nos, vel potius hos. Ego enim Patavium (si non pro certo eum adventore ^d), fuerit nuntiatum) proficiscar. Quo si salvus advenero (quod Dii faciant) illum hic novam docere Jurisprudentiam facile patiar. Tu vero, amabo te, illo quam sæpissimæ ad me litteras mitte, vel per Xaramillum nostrum, vel per amicum aliquem, si

quem

quem Venetiis habes. Aliquidque velim de Cæsare, & illo citerioris Hispaniæ conventu (a) ascribas: τοῖς φίλοις ἢ πανταχὴ δηλοῦν πόλων. Data: VI. Cal. Novembris (MDXXXVII.) Bononiæ. Vale.

* Ro- A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D.

Maximis distentus occupationibus has ad te dedi literas, cum ut officio fungeret meo, tum ut me hic IV. Nonas saluum venisse scires. Sum enim maxime in officio, cum nec quod de via festus sim, nec quod mihi esse potius nihil, quam studia debeant, non abduci possum, ut ad te scribam; quamobrem bene de te mereri hoc tempore a literis non cessando, volo, nedum brevitatis veniam peto. Ego ex sententia navigavi. Et valeo, & hoc literato otio fruor, cui sum a pueritia addictus. Tuas literas avidissime expecto, quas puto per Jo. Anguianum, qui isthic Cæsaris negotia curat, mittes; ejus enim fratris filius mihi amicissimus, peregrinationisque nostræ, & studiorum sodalis. Quam epistolam ad Petrum fratrem mitto, curæ tibi futuram credo, ut diligenter perferatur. Plura non scribo. Vale Nonis (b) Nov. Patavio [MDXXXVII.]

* Ro- A. A. MATTHÆO PASCHALI * S. D.

Gratæ mihi tuæ literæ, quas mihi Petrus Dominguez attulit, qua tuæ, quaque fratris mei literas cum eis misisti. Alterum enim alteri officio conjunctum, maximum addidit jucunditatis cumulum. Itaque statim has ad te dedi, jam enim me suppedebat, tot menses silentio transegisse, neque putabam te studiorum, argumentive inopiæ accepturum excusationem: sed tu qua es humanitate in bonam, opinor, partem accipies, meque amabis, etiamsi nullum, crebris literis consignatum, signum amoris videris erga te mei. Xaramilius noster in Hispaniam profectus est, & quamquam commodo suo, non possum non moleste ferre. Ego, ut per illam Epistolam significaram, Bononiæ aliquot annos ero. Neque enim Patavii (c) per comitia (d) & calores Juri opera dari poterat. Fac ut valeas. XII. Kal. Quintilium (MDXXXVIII.) Bononiæ.

A. A. MATTHÆO PASCHALI S. D.

Acceptis a Molone tuis, & Petri fratris literis, ad te scripsi, me Bononiam saluum venisse, teque ut quid maxime diligere, & amare. Nunc quid scribam vix habeo. Nam neque quæ novi accidunt scire aves, & cum aves, habes isthic unde certius cognoscas; neque sunt opinor, alia scriptione digna. Præter mea studia, in quibus sum, vel quod a te admoneor, totus. Quæ ut volui, procedunt,

nam totam brumam Socino (e) operam dedi, optimo (mihi crede) legum interpreti, ætatem humanioribus literis studeo, proximam hyemem Alciato, Pontificioque Juri daturus. Quid mihi adhuc Alciatus, nolim quæras (f). Non sunt enim temere (g) de doctissimis viris verba facienda. Hoc de uno te possum facere certiore, auditores frequentes Paulum Parisium, Marianumve Socinum desiderare, plerosque vero gaudere, & triumphare. Sed alias hæc uberius. Tu velim me ames, & literas ad me, cum licebit, des. Jo. Abbatam, qui has ad te attulit, quibus rebus poteris, juvabis, vel quod mihi deditus, vel quod Hispanus, atque adeo pene noster civis est, vel quod in eo nihil non optime poni ex re cognoscas. Hoc mihi erit quamgratissimum. Vale V. Kal. Sextilis. (Bononiæ MDXXXVIII.)

A. A. RODERICO MANRICO S. D.

Et si te ipsum coram præsentem alloqui, in dies magis & cupiens, & sperans, nullas ad te adhuc literas, neque dedi, neque dare cogitabam: tamen cum a Jo. Sora nostro quam accepisti epistolam Ruicius attulerit, hominis esse impudentis putabam, eam ad te mittere, meamque non conjungere, quæ te mihi tam esse expectatum, venturum, quam cui maxime quisquam unquam fuit, significarem. Sistas igitur, ambula, amabo te, si ambulas, curre, si curris, advola, ut tibi possimus quamprimum, saluum venisse, gratulari. Bibliotheca tua vel ea de causa libentissime utor, quod me desiderio tui, quanquam non plane liberat, levat tamen quodammodo, & eum minuit, quæ te etiam movere potest, illa enim ipsa crebre refert:

Tityrus hinc aberat, ipsæ te Tityre pinus.

Ipsi te fontes, ipsa hæc arbuta vocabant.

Multa sunt autem, quæ cum veneris, ridebimus, de illo præsertim, qui modo, nosti quem dicam, sexcentaque similia. Si vero te (quod Dii omen obruant) Mediolanum Alciatusve tuus, cujus expectatione pendemus animo, tenuerit, ne committas ut silentium unquam tuum accusare possimus. Bernardus Bolea, ceterique nostri tibi plurimum salutis impertiunt. Cura ut valeas. Data III. Iduum Octobris Bononiæ.

A. A. HIERONYMO URRIAS S. D.

Ruicius te & valere & mihi plurimam dixisse salutem, cum te Ilerdæ convenisset, nunciavit. Quæ mihi omnia quidem pergrata, perque jucunda fuere. Nihil tamen potuisset mihi gratius esse, quam si literas etiam ei ad me dedisses. Quas ut elicerem, has subito exaravi, cum Patavium

a Carolus V. anno 1537. conventus, sive curias generales, ut ajunt, egit celebravitque Aragonicis Regnis Monzono Nobili Celtiberiæ Municipio. De quibus etiam supra in epist. III. ad Boleam.

b Ant. Augustinus IV. Cal. Novembris Bononia excesserat, IV. Nonas Patavium accessit. Pridie Nonas ad Boleam scripsit ea quæ videntur 5. epist. Nunc vero Nonis ad Matth. Paschalem.

c Patavii menses octo hæsisse Ant. Augustinum Andr. Schottus in ejus Vita ait, id quod ex epistolis tribus hisce confirmatur. Nam cum anno 1537. ad IV. Cal. Novembr. venisset Patavium, anni mox sequentis mense Junio jam Bononiam redierat. d Quænam ista comitia? e Mariano filicer minori. Plures enim Socinarum familia Jureconsultos edidit, Marianum Majorem, & Bartholomæum, mox & Marianum Minorem, qui & ipse Alexandrum filium habuit perdoctum. De quibus omnibus Jac. Phil. Tomasinus de Gymnas. Patav. lib. II. cap. II. & XII.

f De Alciato præceptore, sive ejus docendi ratione, quid sibi videretur, noluit hic pronuntiare Augustinus. At vide quæ notavimus supra ad epistolam I. & VI. ex præfation. lib. 2. Emendation. In epistola quidem ad Boleam XV. anno 1539. Hic Alciatus, ait, inviti amplectimur. g Bene, & ex Quintiliani lib. X. c. I. sententia: Modeste tamen & circumspecte judicio de tantis viris pronuntiandum est. Videndus Niselli in los Progymnasias Poeticas, vol. 4. cap. 87. pag. 251.

cogitarem. Hac igitur de causa, si me diligis, vel potius quantum me diligis, contende, me quamprimum & quam sæpissime certiolem facere non plane me ex animo tuo cecidisse. Quod cum per se mihi erit gratissimum, tum maximus etiam cumulus accedet si expectationem nostram, quam de tuo ingenio indoleque singulari conceperamus, nos non te fessisse cognovero. Hoc a te etiam atque etiam peto. Vale V. Cal. Novembr. Bononiæ.

A. A. MICHAELI SOLERIO S. D.

AIN vero? Cavendum mihi esse a collega tuo? Vide ne me falso frui hoc gaudio velis. Quid enim jucundius optare auderem, quam inimicitias cum eo gerere homine, quem nullæ non literæ suum esse hostem putant? Multa quidem mediis fidius Boleæ me debere nostro fatebar antea, hujus tamen tantæ rei cum ei* & occasio & causa fuerit, qui possum me non esse solvendo non judicare? Sed illud miror alias res istum agere. Alciatum enim ais versibus obtundere cogitare, cum me sibi inimicum sciat. Sed hæc jocati sumus. Tu me amabis, frequenterque per literas ad iras provocabis. Ruicio ceterisque collegis salutem, Petroque præceptori moleste me hanc peregrinationem ferre dices quod ejus caream singulari doctrina. Joannes, Georgiusque te salutant. Vale XIII. Calend. Januarii.

A. A. HANNIBALI TURRIO S. D.

ACcipio ita excusationem tuam, qua uteris, quod me ante professionem non videris, si ad me crebro, cum per ista tua negotia licuerit, ut polliceris, scripseris. Quod scribis, moleste referre istam cessationem, præsertim cum suavissimis tuorum cares congressionibus, facile, quæ tua est humanitas, comitas, credo. Et de me conjecturam facio. Quippe qui post Bern. Boleæ nostri tuamque professionem nihil non dicam jucundum, sed ne gratum quidem videor vidisse præter literas tuas. A Bernardo autem nihil adhuc, eum tamen valere, & quamprimum magistratum illum se affecuturum sperare audio: literas tuas ei mittam cras, ad summum perendie. Tu vero velim ad nos statim (expectatus enim venies) si modo id tuis rebus conducit. Sin autem esse te istic oportet, cogites me amare amore te eo absentem quem tu præsens cognovisti, & (ut spero) propediem recognoscas. Vale Cal. Novembris.

A. A. JACOBO ALBIONI S. D.

NUnquam opinor vehementius desideravi aliquid me valere dicendo, atque hoc tempore, quo est mihi ad eum hominem scribendum, qui est in elegantissimis quibusque versatus, & quamquam hoc quidem maximum est, habeo majorem mei desiderii causam. Vix credas, mi Albion, quam sim gloriæ avidus. Itaque judicabo me tibi, cui nihil celare possum, cum me præsentem VII. Idus explicasses pulcherrimam illam doctamque supellectilem tuam, invidia flagrabam totus, & me aliqua illuc irreperere vehementer optabam. Sed deterrebar tuo præjudicio. Quippe cum epistolæ illius ad Bernardum meæ, quam tibi placuisse dixisti, nullum

exemplum accepisses. Sed tamen tanto ipse avidius illum locum desidero, quanto ab eo longius absum. Sed quoniam id frustra conor, cetera agamus. Jo. Hermangolium, & Pet. Ruicium Jureconsultos quanti faciam, nosse. Quanti autem facere debeam, ego id solus scio. Gratus abs te nihil consequi possum, quam si utrumque ita juves, ut homines doctos & gratos tibi in perpetuum devincias. Quod si feceris tum tu me optime ornasse existimato, ceteris in rebus mei memoriam negligas licet. Vale Idibus Maii Bononia.

A. A. PETRO RUICIO MORO S. D.

NOvo genere literarum usus es, me quidem, tuam cum legerem epistolam, probante, sed cum ei rescribo, omni me scribendi argumento video destitutum. Valetudinem ne infirmam tuam (si modo infirma dicenda est, quæ jocari te per literas sinat) molestam mihi fuisse dicam, quæ ad te literas extorserit? Silentium quærat? At te video aliquando scribentem nihil esse literis dignum dicere. An ne de multa salute aliquid? At me prædixisti reprehensuram. Jam si ejusdem generis illa a Mauris in præsentiarum valetudine recta*, subterfugari, nonnullaque alia suboscuro, admoneam scripsisse? aperam (ut ajunt) & oleum perdam. Quippe cum in ea sis Stoicorum hæresi, ut nulla esse in verbis peccata putes. Memini enim, cum Aristarchus nescio quis, unum, aut alterum tibi impedimento fuisse diceret, quominus Ciceronem in tuis verbis agnosceret, dixisse percomode, te tua, sua Ciceronem loqui. Videtne me tuum usurpasse genus scribendi nullo proposito argumento? Da igitur operam ut valeas, ut possis crebro meæ docilitatis periculum facere. Domus te nostra salutatur. Dat. pridie Idus Aprilis Patavio (MDXXXVIII.) Vale.

Hæc scripseram, ecce tibi noster Bernardus alteram a te attulit, Dii boni, quantæ doctrinæ! Non hujus vulgaris, sed ex incondito (recondito volui dicere & intimo sacrario literarum depromptæ. Quam cum se ne intelligere quidem mea fateatur infantia, falces libenter submittit ei, qui non cedat, hominem non putabo. Sed hæc hætenus. Longiorem enim desiderant orationem, & Bolea urget, qui mihi multa de poemate quod pangis, Alciato, Bononiaque plaudentibus, multa de legum eloquenti interpretatione. Et quamquam sunt ut quæ maxime miranda, nova tamen mihi de te singularia expectanti non fuere. Quæ quod sine molestia tua fiat, cave nos celes. Hoc a te etiam atque etiam rogo. Vale. Postridie Iduum (Aprilis MDXXXVIII.)

A. A. PETRO RUICIO MORO S. D.

PErgratum tibi videor facturus, si neque te accusam silentem, nec professionis ante Idus meæ te certiolem faciam. Cur igitur inquires, utrumque facis? Quoniam silentium tuum id genus animadversionis postulat, & te non amare sine aliquo amore non possum. Itaque me expecta, injurias persequentem meas. Nam a quibuscumque Judicibus causæ meæ consilium petam, ut ex qua scriptorum tuorum lectione vi ejectus sum, in eam restituat. Sed quid ego te stultus admonero? Disce, &

va-

vale. Patavii tertio Kal. Junii. Collegas jube salvere.

A. A. PETRO RUICIO MORO S. D.

GRatulor tibi primum, ut debeo, de duplici victoria, tum quod hostiles istas scholas ita tui admirabilitate impleveris, eorum alumnis manus dantibus, tum etiam quod gravissimo morbo liberatus, quo te Æmula ista Bononiensis gloria impleverat, Patavium, hic triumphum agere possis. Namque si illa quæ soli Cusimus, probas de divorum præsentissimo auxilio, hic rectius tecum nostra exultabit Calliope. Cum triplices muros cum Mariana, Alexandrinaque trophea, cum denique ante currum anterior ipse

*Sæva sedens super arma, & centum vinculis
ahenis*

*Post tergum nodis, fremet horridus ore
cruento.*

Sed hæc quidem hæcenus, vereor unum enim ne te dum allicere nostris studiis conor, in commentationem aliquam ducam, qua tuus reditus aliquantulum impediatur. De Bononiensi disputatione ita habeto, maximam esse expectationem, illis propositis libellis, concitatam. Sed indignum erat rem tantam apud infrequentissima gymnasia agi. Sunt enim ea ab studiosis ob ingentes calores derelicta, qui frequentes ad Kal. Novembris aderunt, idest, ad tuam disputationem. Quod de tua valetudine facere omnes certiores volebas, necesse non est. Nam & id satis cognitum est, & tu vel post unum, aut alterum annum (si velis) potes tuam fidem liberare. Noster Solerius in vestro suburbano rusticatus tentatus est febricula, & torminibus. Non ea opinor de causa quod aqua gelida frequentius utatur, aut pomis, vel uvis, quas numquam attingit, se expleat. Franc. Examarius doctor appellatus est. Novi aliud nihil. Mei collegæ te salutant. Ego Michaelem fratrem. Vale V. Iduum Quintilium.

A. A. PETRO RUICIO MORO (a) S. D.

PUderet me duabus epistolis tuis quam suavissimis una hac respondere, nisi me frequentia tabellariorum vinceres: istam tamen felicitatem tuam, & scribendi diligentiam vehementer amo. Neque enim potest aliunde accidere, ut illustres istas, & consultores, & auditores tuos, in quorum oculis, & sinu te esse audio, tam crebris, tamque diuturnis sermonibus privas, ut me unum longissimis literis tuis toties exhilares nisi magna esset copia, & ut ita dicam, amoris ubertas apud te. De qua quoniam scis me ei non male respondere, non est, quod plura scribam. Tantum addam nihil te posse gratius, nihil jucundius facere, non dicam mihi cui hæres in medullis, aut Hispanis omnibus hisce

hominibus, qui te maxime diligunt, aut toti illi ex omnibus Europæ partibus collectæ eorum frequentia, qui te quacumque ibas, stipabant. Sed gymnasia ipsa, porticus, templa, fora, ipsi denique mediis fidiis privatarum domorum parietes, lætari quodammodo videntur, & prosperis tuis gratulari. Illud tamen mirantur omnes, quid sit quod post tot mensium intervallum nihil adhuc de honoraria mercede sit constitutum. Quibus ego respondeo, in optimam esse partem interpretandum. Major enim honor debetur re ipsa cognitæ virtuti, quam expectatæ, aut promissæ, eo etiam pudorem illum tuum accedere, & magnam erga te pontificis istius, illustrissimi viri liberalitatem, & humanitatem, quam tu omnibus literis tuis prædicas, perindeque vobis evenire soleo dicere, atque his, qui se obvii, in via quantumvis lata, dum alter alteri cedit, ita impediunt, ut vix se aliquando explicent.

De Florentinis Pandectis quod scribis velle te scire cujusmodi mihi libri fuisse videantur, quaque ratione scripti sint, ita habeto, me tres illos menses, quos perlegendis describendisque consumpsi, cum maxima voluptate fuisse versatum. Sunt enim illi libri non solum ea de causa in summa veneratione, quod ad eorum exemplum omnes, qui ubicumque reperiuntur, Digestorum libri conscripti sunt, sed quod ita scripti sunt, ut nullum exstet præclarior antiquitatis monumentum. Ut enim in ipsis Jurisconsultorum responsis auream illam Tullianam ætatem, & elegantiam agnoscimus, potius qua Antoninorum, Alexandri, & Gordiani dicendi genus (quorum tempore maxima pars, atque adeo omnes pene nostri Jurisconsulti fuerunt) sic in ipsis illis libris genus ipsum scribendi multo est antiquius, & ad illa elegantissima tempora, quæ solemus admirari, propius, quam ad Justiniani & successorum accedens.

Literæ tamen ipsæ etsi quantitate a veteribus illis monumentorum inscriptionibus non differant, aliquarum tamen in aliam figuram forma deflexa est. Interpunctiones nullæ fere sunt, neque verborum, neque periodorum, clausularum, aut interrogantium signa, nullæ notæ literarum (b), quod ipsum Justinianum jussisse videmus, quod usque eo illic observatum est, ut neque diptongorum notis, neque (c) minutis hisce, & q. b. nunquam usi librarii sint exceptis postremis singulorum versuum syllabis, & aliquot locis numerorum notis, quæ ipsæ sunt etiam eleganter tractæ ad antiquorum librarium imitationem.

Expunctiones quoque libentissime vidi: ostendunt enim, & declarant verbum ipsum expungendi, quid apud veteres fuerit. Nam quoties unam atque alteram literam librarius de suo (ut fit) alicui verbo addiderat, postea aut ipse animadvertens, aut libri

^a Hieronymus Zurita lib. 15. Annal. cap. 8. XXXVI. Alcagnicensis Collegii Viris annumerat Petrum Ruicium Morum.

^b Justinianus id prohibuit, nempe in l. 2. C. de veteri jure enucleando, §. Eandem autem. 22. De hac re A. Augustinus in Emend. lib. 1. cap. 1. in fine, & cap. 9. Idem in Paratitulis, ad d. l. 2. C. de veter. jur. enuel. hæc habet *στυγλας* Græca constitutio, veteres Notas appellabant, unde *Notarii* dicti. ^c Eadem habet A. A. in Antiquitatum Romanarum in Nummis Dial. XI. & accuratius in fine librorum Emendationum & opinionum, Venetæ Editionis anni MDXLIII. ubi hæc leguntur Ant. Augustini verba: *Sunt alia leviora, quæ lectoribus emendanda relinquimus, item illa, in quibus propter Florentinarum Pandectarum scripturam a recepto scribendi usu discessimus, ut illam ipsam antiquitatem representaremus. Itaque semper scribendum est quicumque, epistula, nonnunquam, condicio, Mutius, hæres, & alia id genus. Notas quoque omnes si per librarios, & Accursianos nostros licuisset, libens omissemus his paucis exceptis, quibus crebro utimur, omnibus, major, atque, quæ in illis libris reperimus, sed ratas.*

bri dominus punctis supra eas literas adscriptis, aut infra supraque, aut etiam infra, aut quaqua versus ductis, expungebat; si vero unum atque alterum verbum fuerat librarii errore repetitum, parvulis his notis ductis quibus hodie interpolationibus (quas parenthesis appellamus) utimur, error emendatus est.

Capita autem ipsa Jurisconsultorum ita scripta sunt, ut prius nomen Jurisconsulti, & numerum libri, ex quo sumptum est, habeat, quam cætera verba, neque, ut vulgo fit, adscribitur: *Lex tertia, aut quarta.*

Sæpe etiam vidimus quibusdam spatiis relictis sententias separatas, quod nos quibus locis erat, in nostris libris imitabamur, in cæteris deprehendi a nostris librariis non semel in hac sententiarum separatione erratum. Cujusmodi illud est quod de synopsi, & anniculo, ad te scribo. Sed si tu me tuam hac de re observationem cælendam non putaveris (neque enim existimo te frustra id a me petiisse) non deerit munus, quo tuum in eodem genere remuneret.

Fecerunt tamen nobis maximam difficultatem obsoleta aliquot loca, & ob tot sæculorum intervalum membranæ ipsæ ab atramento perforatæ sæpius.

Librariorum quoque errores, & emendatorum audacia, sed tamen tanta diligentia usi sumus, & tam multa reperimus animadvertenda, ut omnes & labores, & molestias libenti animo pertulerimus.

Mitto autem ad te aliquorum locorum emendationes, quæ nostrum inter nos amorem apud discipulos tuos testentur. Addidi etiam eorum capitum interpretationem quæ libro XXVI. & XXVII. Digestorum Græce conscripta sunt Florentiæ, quibus cognoscas, quantum de Modestini autoritate ante hunc diem fuerit detractum, cætera sunt in manibus. Habes de Florentinis Pandectis.

De Cæsare vero quid scribam, nescio, nisi forte desideras, ut te faciam earum rerum certiorum, quæ jam nobis sunt multorum nuntiorum rumoribus cognitæ, aut quæ ne a nobis quidem sciuntur. Sed ne tibi opera mea ulla in re desit, scribam breviter quæ a Cæsare (post illam tempestatis vim quæ ab illius piratarum munitissimi oppidi, quod fere in manibus tenebat, expugnatione exclusus est) gesta esse dicuntur. Cum enim naves, quæ in diversas Hispaniæ, & Africæ oras erant latæ, collegisset, & minorem fuisse jacturam, quam quantum omnes existimabant, cognovisset, Italos milites, & Hispanorum aliquot cohortes in Italiam misit, ut illi militia solverentur, hi vero cum cæteris veteranis militibus ad Gallorum impetus sustinendos, qui

ad hunc diem se præparare dicuntur, in Insabria essent, aliquot etiam cohortes Hispanorum militum in Sardinia hibernari jussit, ut Africæ, & Italiæ, & Hispaniæ vicinitate facile possent in quamcumque eis opus esset partem duci. Hi Neapolim his diebus missi esse dicuntur, ut oram illam a Turcarum classe, quæ armari dicitur, tueatur. Ipse Cæsar cum aliquot Germanis cohortibus, nam reliquas per Italiam domum miserat, & cum Imperatoria cohorte, & voluntario milite, atque novitio Hispano Carthaginem novam pervenit. Nihil deinceps ei fuit antiquius, quam armamentis navium reparandis, & navibus aliquot ædificandis, tormentisque bellicis & hominibus, annonaque instruendis in maritimis omnibus Hispaniæ oppidis operam dare, ipse ad mediterraneas deinde ulterioris Hispaniæ urbes conventos frequentissimos habuit, in quibus de Punica expeditione, de Cantabriæ defensione actum, alacriterque quindecies centena millia aureorum nummorum data, totidemque eodem tempore ex ultimis illis Oceani insulis allata esse dicuntur. His & fratrem germanum juvare (cui a totius Germaniæ conventu liberalissime sunt ingentes copiarum permittæ) & se tueri, & adversarios opprimere, Diis juvantibus, sperat. Ex ulteriori Hispania in citeriorem Montioni conventum indixerat ad Idus Majas, sed podagra iter facere prohibitus, Nonis Junii venturus existimatur, illinc, nisi Galliæ res nimis sint molestæ, in Africam de mense Sextili iturus, & Algieri expugnato in Italiam venturus creditur. In qua delectus a Pontifice ad Pannonicam expeditionem quatuor millibus militum juvandam fiunt, a Cæsarianis quoque eadem de causa & ob Gallicum tumultum. Omnia tamen cum Gallo adhuc integra, præter tabellariorum, & viatorum minus tutum per Gallias iter.

Habes præter consuetudinem meam, minime magnarum rerum non incertissimos rumores. Tu me de Regiis istis, Pontificiisque consuetudinibus, de morum, & regionum istarum a nostris differentia, & cum nostris communiōe, certiorum facito, quodque me libentissime auditorum scis, quanti hic fias, quæ sint tua, & docendi, & consulendi, & confabulandi, valetudinisque tuendæ instituta, & quandiu a nobis abfuturus sit. Sed nescio quomodo nimis ponderosam epistolam de nescio quam ponderosis rebus conscripsi. Quamobrem tu me amato si a me amari cognoscis, & Vale. XVI. Kal. Quintilis, Bononiæ (Anno MDXLII.)

A. A. JACOBO (a) ROGIÆ S. D.

QUO te munere remunerarer post acceptas tuas jucundissimas literas, admirabileque illud παραδόξον cogitavi, cumque nihil amoris erga te
mei

^a Hæc ut & sequens epistola Jacobo Rogiæ inscribitur. Id est, *Diego de Rojas, vive Roxas*, ut Hispani scribimus. Esse autem ille ipse videtur scriptor de quo in Bibliotheca Hispanica tom. I. pag. 240. hæc tantum annotavit Nicolaus Antonius. *Didacus Roxas* scripsit *Problemas en Filosofia Moral*. Bernæ 1618. in 8. nempe 20. circiter annis antequam A. Augustinus Bononiam venisset, ad quem cum Rogiæ misisset eum libellum Problematum sive Paradoxorum Dialogis compositum, judicium de eo suam interposuit Augustinus.

Mentionem autem ejusdem Rogiæ, sive Roxas inveni in duabus etiam epistolis Claudii Polomei, quarum prima exstat lib. 3. pag. 75. editionis Venetæ apud Giolium, missa Neapolim & sic inscripta: *Al Signor Diego Rogas*, scripta vero Romæ 2. Junii 1545. Altera lib. 6. p. 161. scripta *al Sig. Pierro Alberozzo* Romæ die 17. Nov. 1553. quibus locis Polomeus vocat amicum nobilis intellectus & spiritus purgati, ostendit vero eum magnopere delectari solitum ludo *schachorum*.

Videndum est an Didacus iste de *Rojas* ille idem sit, qui de laudibus nobilis femine Nocherensis Principis librum scripsit

mei testificatione gratius tibi fore putarem, cum his litteris obsignavi. Nam iudicium quod requiris meum, facis tu quidem peramice, sed non est nostrum munus. Neque enim sum in eo genere philosophiæ, neque eo versatus, ut quidnam constitutum sit expectandum. Sed si, ut ille nobilis pictor solebat, tabulas in publico locare, ut quamnam esset vulgi opinio scire liceret, & si quid desideraretur corrigeret, sic tu meam sententiam, ut unius de plebe audire cupis, id tibi persuadeas velim nihil me in eo genere dictum aut scriptum, neque audisse, neque legisse elegantius. Et ut sentias me non aliter sentire ac loquar, quid desideraverim, explicabo. Sum enim non minus in laudando, quam in reprehendendo liber.

Principio igitur maiorem exornationem rerum desidero, quas & materies ipsa, & eorum hominum dialogus exposcit. Deinde illa excusatio proverbii non ita facile accipietur. Equidem mihi adventitia videbatur & aliena. Quæ autem de Euripidis (a) Comædiis adscribis, ut Comicum eum fuisse demus, quod tamen nusquam legi, vellem mutasses, non enim auctoritatem addit comædiarum numerus. Sed sum ne fanus, qui hæc tecum? Cujus ego negligentiam malim imitari, quam aliorum nimiam diligentiam. Itaque tu in eandem rem incumbes, & ad me quæ commentatus fueris, mittes.

Tom. VII.

psit editum anno 1585. In Alexandri Salvii Neapolitani libello cui titulus *Saaccheide* eorum mentio fit qui ejus ludi peritissimi haberentur & in Prologo inducuntur Escobarius, De Rojas, & Joannes Baptista. Cum autem hi circa annum 1600. vixerint, non de nostro de Rojas, sed de ipsius forte filio censeo in eo libello mentionem factam.

a Comædias haud scripsisse Euripidem recte observat Ant. Augustinus. Tragædias autem quinque & septuaginta scripsisse memoratur ex Varrone, & A. Gellio lib. 17. *Αυτε αυδης*, cap. 4. Suidas etiam maiorem illi numerum tribuit. Verum ex Julio Scaligero lib. 3. Poeticæ cap. 96. observandum est, quasdam Tragædias fuisse Satyricas, quæ parum differrent a Comædiis: *qualis est*, inquit, *Cyclops Euripidis*, & postea idem de Electra ejusdem Euripidis affirmat. Quin etiam ipse Scaliger lib. 1. cap. 5. scribit: Tragædiæ, & Comædiæ genus unum commune esse, commune unum nomen fabulam, & in fine ejusdem capituli, unum esse Comædiam, & Tragædiam quod ad modum attinet. Ex qua observatione excusari forte Rogia potest, si Comædiarum nomine largius loquutus donavit fabulas Euripidis, quem alioquin Tragicum fuisse constat, immo & Tragicorum principem longeque anteponendum Sophocli, ut quidam affirmarunt Aristotelis auctoritate freri, qui *Τραγικωτατων* eum appellavit libro de Poetica sane Ludovicus Vivus libro de tradendis disciplinis 3. (quod opus anno 1531. vulgavit, idest 8. annis ante hanc epistolam A. Augustini) scripsit, *Sophoclis Tragædiæ, cujus non leve fuit semper pretium, etsi huic Euripides præfertur*. Sed cum locum Aristotelis, etsi varie, verterent, & Riccobonus, & Robortellus, & Victorius, & Heinſius, in eundem tamen sensum collimant, istum scilicet: Euripidem licet alias in argumentis disponendis non sit felix, tamen certe omnium Poetarum maxime Tragicum videri. Simili ratione ab Justiniano in Novella Constitutione 22. M. Antoninus Imperator *Φιλοσοφωτατος* appellatus est, hoc est, philosophiæ plenissimus, ut explicat erudite Casaubonus in notis ad Capitolinum. Theoph. vero l. 1. Instit. de jur. natur. *κορυφωτατων* legislatorum ait esse populum, hoc est longe principem, ut observavit Ant. August. lib. ad Modestinum 4. in l. 4. §. 2. excusation. Theodosium Imperat. *σοφωτατων*, hoc est, sapientissimum vocat Themistius ut ait Castorius in Vita Theodosii Magni cap. 17. Et Pet. quidem Victorius (sicut Benedictus Varchius in lectione de Poetis Tragicis habita anno 1553.) Quintiliani lib. 10. c. 1. & aliorum veterum modestiam imitati noluerunt pronuntiare, uter esset Poeta melior. Heinſius vero in libro de Constitutione Tragædiæ, cap. 16. scribit non magnopere de hoc fuisse dubitandum, & neminem, ad majestatem Sophocleam accessisse. Utrumque se res habeat, illud a Joanne Buffieres belle dictum est in Floribus Historiarum pag. 83. Sophoclem & Euripidem occidisse diverso sane fato: nempe alter *Comico* alter *plusquam tragico*, cum ille gaudio pro *impevratâ victoria*, hic *laniatus a canibus interierit*. Plane de doctrina Euripidis, & maxima Philosophiæ cognitione & ut liqueat quantis doctoribus usi sint Poetæ qui ad grandis Poeticæ laudem adfurrexerint consulantur post Lilius Gyraldum Dialogo 7. & Robortellum in Aristot. Poetica Jo. Gerardus Vossius lib. de Poetis Græcis cap. 6. & A. Tobias Magius in Eponynologico Critico. Videndus Niseli in Progymnaſm. Poeticis, vol. 4. cap. 17.

b Annum ita supplevimus conjectura hujusmodi ducti; quod respondet huic epistolæ quod scribit in ea quæ sequitur post aliquot menses, quia Bononia abſuerat. Ea vero scripta est mense Februario anni 1540. ut ibi monstrabimus.

c Civilis Juris, & humanitatis, ut epist. 17. ad Boleam. d Senis aut Florentiæ data hæc epistola fuerat: In his autem urbibus versari potuit Rogia, quia per id tempus militum Hispanorum exercitus, aut ibi degebant, ut constat ex historia earum urbium. *Malavolta parte 3. fol. 140.* e Eos scilicet quibus problemata Philosophiæ Moralis explicuerat ut ad epistolam superiorem diximus. f Nimirum vulgari Hispanorum lingua scripta: sed numeris, & mensura Latinorum Poetarum, quod genus tum primum in Italica lingua usurpari cœptum est auctore Claudio Ptolomeo, ut mox dicemus pluribus. Atque utinam haberemus epigrammata ista A. Augustini, ut alia Latina ejusdem extant. Verum Hispanica illa perierunt: isque tantum titulus adnotatus est in meo MS. codice. *Epigramma de Sannazar traducido en Romance*. Deinde vero Saphici aliquot, & Adonici versus ita inscripti leguntur; *Saphicos, y Adonicos sobre esta nueva Poesia*. Scripti vero hac ipsa, quam exhibemus orthographia:

Jupiter torna: como suele rico;
Cuerno derrama Jove copioso,
Ya que bien puede el: Pegaseo monte

Hoc te etiam atque etiam rogo. Postidie Nonas Maii (b) Anni MDXXXIX.) Vale.

A. A. JACOBO ROGIÆ S. D.

D Edissem ad te hisce superioribus diebus litteras, si Bononia non aliquot menses abſuissem; aut si cum fui, otiosum mea (c) studia esse visissent. Nunc quamvis nihilo magis liber ab eo negotio sim, tamen cum litteris tuis subvereri videris molestam mihi fuisse tuam illam accurate scriptam epistolam (d) odiosum hunc scrupulum evelli oportere putavi. Itaque id velim tibi persuadeas mihi illam jucundissimam fuisse. Agnovi enim in ea quantum amori meo tribuendum putares, ut & in his, in quibus videbaris superior, te maxima modestia contineres, & in quibus nonnihil causæ cognosceres ad reprehendum mihi fuisse, cederes facile, aut non pertinaciter repugnares. Totum te denique & tua (quo tu eras erga me amore) mihi traderes. Ferus mehercule (mi Rogia) atque adeo ferus fuisset, si quæ me ad te amandum incitarent ea ad alienandum meum animum valuissent. Sed his de rebus multa. Venio nunc ad nostras exercitationes, & a te peto etiam atque etiam ut mecum cæteros tuos dialogos (e) communices. Et ne impudens videar, quippe cum toties munus flagito, neque do, mitto ad te quædam epigrammata (f) novi cu-

Z

jus-

jusdam generis. Erit hæc plane inter nos Glauci & Diomedis permutati o. Sed sit sane, dum ne illa sit Hectoris & Ajacis. Audio apud vos (a) Claudium quendam Ptolomeum numeros primum plebejis Italicis verbis addidisse, eumque satis multos doctos viros Romæ & istic secutos fuisse, quorum carmina (b) legi perlibenter. Habent enim jucunditatis (ut in ipsis initiis) satis. Quæ res me ut idem in nostra lingua conarer, coegerunt: quæ tu ita leges ut ad illos versus respicias, quos olim fauni vatesque canebant. Cura ut valeas, meque, ut amo ames. Ad VI. Calendas intercalares priores (c), Bononiæ (Anno (d) MDXL.)

A. A. JO. QUADRÆ S. D.

TUorum erga me meritorum memoriam renovarunt & Thomas Zornoza, quem Venetiis libentissime cum Martino Consule ejus patruo vidi, & Jo. Quadra, quem etiam Venetiis post aliquot menses apud Jacobum Mendozam legatum recognovi. Accessit jucundissima nuper epistola ad Thomam nostrum tua, in qua mihi salutem ascripseras, & mearum rerum fieri te certiore cupiebas. Quod cum is mihi per literas significasset, veritus sum ne tu in ingratiſſimum hominem collocata fuisse vetera illa beneficia tua existimares, nisi te meorum studiorum ego ipse facerem certiore. Neque enim alias res possum appellare meas, non solum ut ille qui se sua bona exportare dicebat, sed ut latini homines loquuntur. Namque post optimam illam (e) (tuam institutio) nem, cujus semper meminero; Comp(lutensis unus atque) alter me; Salmanticensis septem (annis* tenuerunt. Quibus) id acceptum fero, quod cum (teneras aures meas per) sonate præceptorum vocibus (viderem) eas in

animum solas audire induxi, quæ quicquam docerent, cæteras nescio quo) modo alienas existima(re). Cum hac cupiditate potius discendi, quam doctrina (huc ante quinquennium *: quos ego) annos optimis Jureconsultis (namque juri civili in Hispania operam dare cœperam) Andree Alciato, Paulo Parisio, Mariano Socino, Ludovico Gozadino, Augustino Betolio, Jo. Antonio Alexandrino, audiendis jucundissime transegi. In hoc etiam Hispanorum hominum collegio cooptatus ante duos annos sum, in quo te fuisse cognovi, quod non leve sit nostræ conjunctionis vinculum necesse est, si morem servare majorum velimus. Si quæris quid sim hoc tempore affectus, nescio. Hoc quidem certe affirmare audeo, me non solum meorum laborum non pœnitere, sed habere etiam his gymnasis maximam gratiam, quod mihi in dies tenebras, quas mecum detuleram, longius ex oculis abiiciant, & mihi nullam satietatem inducant discendi. Itaque si id etiam expectas, ut quid deinceps cogitem, scribam; ineunte vere Juris (opinor) consultus appellabor, nihilo tamen minus urgebo, quoad in Hispaniam a meis fratribus trahar. His volui tam multis me tibi & gratum & memorem ostendere, quanquam non despero me multis majoribus officiis tibi aliquando satis esse facturum. A te autem peto ut quem erga me amorem jam inde a mea infantia suscepisti perpetuo constantem esse per literas ad me tuas ostendas. Vale..... imo. Calendas Januarii. Bon.

LÆLIUS TAURELLUS A. A. S. D.

Nisi perspectam haberem summam humanitatem tuam, ordiret excusationem, qua me accurate purgarem ab omni suspitione ignavia, cujus

*Verse, y la fuente.
Ante ninguno, sabio poeta
Pudo ver tanto; que la senda corta
Viesse, que a Griegos, la subida siempre
Fuera y Latinos.
Ennio vemos; Livio, y Catullo,
Pindaro, Orfeo, Sofocles, Homero,
Flaco, Nason, Virgilio, Lucano
Esta seguan.*

Si autem grati esse & habere volumus erga optimos quosque viros qui primi aliquid in re literaria conati sunt, haud abs re erit animadvertere, & Hispanorum primum fuisse nostrum Ant. Augustinum, qui linguam patriam hac ad inventionem ornare tentavit, & fuisse per id tempus in Italia nobilissimum alium equitem Hispanum, qui novantiquam istam Poesin non quidem Hispano sermone, sed quod difficilius extero Italico exercuit. Is fuit Didacus Sandovalius de Castro, qui in Neapolitano Regno Cosentia urbis archiepiscopus fuit. Ejus vero carmina exstant Romæ typis edita cum multis aliorum Academicorum anno 1539. Præterea etiam animadvertere libet paucis annis interjectis Gallos videri duos eruditos viros hanc rationem Poetandi in Galliam invexisse, Joann. Baynium, & Nicolaum Rapinum de quibus digna sunt legi, quæ Scavola Sammartanus in Elogiis attulit, nam de Baynio ita scribit: *Vernaculum sermonem tanti fecit, ut non contentus illis similiter desinentibus sonis, quos hætenus nostri homines coluerunt, experiri præterea voluerit, num ad veterum Græcorum & Latinorum numeros carmina Gallice fingi possent. Rom profecto pulcherrimam, & omnium applausu dignissimam, si ex se non ex inveterata hominum opinione penderetur. De Rapino autem ita: Fuit adeo felici sæcundoque & habili ad Poeticam ingenio, ut vel inter operosa tot negotia.*

a Quod ait apud vos, & postea Romæ, & istic, videtur ad Patavium, Florentiam, aut Senas referri debere, nam in his præcipue urbibus tunc temporis, ut & Romæ multi docti viri in illo novo genere Poesis sese exercebant; quorum nomina ex prædicto libello Romæ edito noscere in promptu est. Claudii vero Ptolomei nomen tunc primum innotuit A. Augustino & mox celeberrimum evasit inter ejus ævi litteratos. b Quæ legisse se Aug. ait, continentur hodieque in libello, qui mense Octobri anno 1539. editus fuerat Romæ sub hoc titulo: *Versi, et Regole della nuova Poesia Toscana.*

c Kalendas intercalares priores, intelligimus diem 24. Februarii, quod ait Augustinus imitatus Ciceronem apud quem *Cal. Intercalares priores* scriptum est lib. 6. ad famil. ep. 15. & Oratione pro Quintio, *Ante quintum Cal. Intercalares & Prædie Calend. Intercalares.* Vid. Cujacius t. 4. p. 2. ad l. *Cum bissexto*, q. 8. Digest. de Verbor. significat. & Brissonius V. *Bissexto*, & V. *Intercalares.*

d Annum quo scripta est epistola ita supplevimus necessario argumento. Nam Ant. Augustinus hanc epistolam scripsit postquam legerat librum Cl. Ptolomei & aliorum quorum carmina, inquit, se legisse: scilicet non prout manuscripta ferrentur, sed in editione illa collecta, quæ utique prodit Romæ mense Octobri anni MDXXXIX. In ea Poesicum se exercuisse A. Augustinus specimen carminum misit Rogiæ: mense Februario post quatuor scilicet menses quam libellum illum legerat, nempe VI. Kal. Martias, mox autem insequenti mense Martio, eisdem id colligitur, & vere convincitur. Nam apud Boleam reperti sunt versus isti, qui apud me sunt.

e Quæ parenthesis notis includuntur ita supplevit Mayanus.

jus non me tarditas adeo arguet, ut non magis rara, & futilia, quæ in tuis scriptis adnotavi apud te convincant. Sed ea (a) freris, & quod plane cognita sint tibi, & exiguæ vires, & innumeræ occupationes meæ, omnibus aliis omissis, ad quædam alia venio, quæ mihi visa sunt animadversione digna, in singulari, ac plane singulari libro Excusationum. Nam quod ad quartum Opinionum, & Emendationum attinet, cum iterum atque iterum legissem illum, nihil fuit, quod mihi non valde placeret præterquam inculcationem quandam eorum, quæ tu aliis tribus libris postea tractasti, quæ tibi reconcinnanda esse arbitrarer. Atque in alterutrum locum reiicienda. Excusationum libellum ad fratrem miseram, ut scripsisse arbitror, cujus nonnullæ ad me Notæ (b) cum his erunt ingenua quadam, qua ille natura est, simpliciter scriptæ, non uti ad te illas mitterem, sed ut si quæ ex eis consideranda (ut ait) viderentur, tibi significarem, sin autem, dilacerarem. Ego autem volui te omne quidquid est, videre, & boni consulere, ut mea, neque enim minus amanter scripta sunt, aut is minus nobilissimum istum animam, & innumeras virtutes, ac summam eruditionem tuam, quam ego, observat, & colit. Quæ autem mihi occurrebant, erant hujusmodi.

Ad l. I. de confirmando tut. vel curat. ais constitutionum illarum tempore id consulare munus fuisse. Hoc loco ego in commentariolo sic fere habebam: *Claudius* (ut est apud Tranquillum) (c) sanxit ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur. *Marcus autem* (ut Capitolinus ait) prætorum tutelarem primus fecit, cum ante tutores a Consulibus poscerentur. Hinc *Consularem potestatem* appellat * origine inspecta, nam Prætorum hodie jus est provincialiumque Præsidium, ut Ulpianus scribit *, quo loco se ipsum aperit alibi * scribentem, tutoris dationem, neque imperii, neque jurisdictionis esse, sed ei soli competere cui nominatum hoc dederit, vel SC. vel Princeps.

Quæ omnia non obscure significat Justinianus de Attiliano tutore, atque his invicem constant quæ illo loco scribit (post leges Attiliam & Juliam Titiam) pupillis tutores ex inquisitione dari, fuisse Claudii sanctione introductum quodque rursus addit, Prætores postea dedisse ex constitutionibus, ad Divum Marcum referri.

Ad l. XXI. de tut. & cur. datis. De eo qui Romæ est legatus, ne a provinciali magistratu detur tutor. Quod si non Romæ, sed in alia provincia legatus sit, dubitari potest, nam jus revocandi domum non habet, l. 4. §. Item si extra, de judic. sed si ponas principem in alia provincia esse, videtur & ibi nec dandus, l. 8. de legationibus: *Nec interest*, inquit, *in urbe, an in provincia agentibus nobis, mandata sit.* Deinde ais, *qui se ingerunt ut creentur.* Scio & inferre se, & ingerere eadem si-

gnificatione, & pro intrudere, legi apud authores. Jurisconsultum tamen mallem ingerere cum Ulpiano scribere, *Qui operam*, inquit, *suam ingerit invito* in l. Quæ omnia, D. de procur. Inferre autem apud nostros hoc significatu non legi. Sed scrupulosa hæc nimis.

Ad l. IL. Qui potestatem, §. 4. auditorem Ulpiani fuisse Modestinum non legi: legi autem apud Lampridium in Alexandro utrumque, ac plerisque, discipulos fuisse Papiniani: condiscipuli ergo fuerunt: *Studiosum* autem pro auditore, aut discipulo, non memini legisse. Tutius ergo eadem hoc loco voce uteris (d), dicens, *cujus studiosus Modestinus fuit*, cupidus nimirum observator & cultor.

Ad l. L. Qui petunt tut. §. Si quidem, 3. affers constitutionem, cujus verba sunt hæc: *Imp. Antoninus Chrysantha &c.* Hæc constitutio respicit adultos, non autem iis minores. Ideo congruentius sequenti capite ponenda videtur.

Ad l. I. D. de excusationib. ais ita: *Quamobrem arbitror constitutiones hujusmodi leges appellare.* Et hoc ego arbitror (e). Sed & Jurisconsultorum responsa sic appellari scio apud eundem Justinianum in l. Tanta, §. Tanta, de vet. jur. enucl. *Sed unusquisque*, inquit, *eorum, qui auctor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est:* tum alibi quoque, quod hoc loco te exprimere oportere arbitror, tum alio quodam, ubi capita appellanda censes, ut nec pœnitendum (f) sit vulgato more leges eas appellare.

Differentiam de patribus familias & ejusmodi, ut de libertinis, vellem aut non utique adfirmari, aut autoritatibus confirmari. Nam quod ad libertinos attinet, non puto perpetuum, atque aliter accipi videtur in l. 11. de assign. libertis, quam scripseris. Et curiosum ac minus occupatum indagatorem alia reperiturum reor.

Ad l. VI. * Quod ais, omnes fere Jurisconsultos, ex quorum libris Digesti constant, L. Severi, & Antonini Caracallæ temporibus floruisse, non satis constare videtur, nam Alexandri tempore complures vixerunt, qui diu post imperavit. Nec Caracallam hunc Magni cognomento insignitum arbitror, sed Antoninum Pium, quod & pluribus aliis locis, quibus hoc infra scribis, considerandum, præsertim in l. Sed & reprobari, (g) quo loco forte non *Divus Magnus Antoninus cum patre* (in XI. Pandectarum Modestini libro, & in nostris Digestis, ubi verba ejus ponuntur) legendum arbitror, sed *Divus Antoninus cum patre.* Magni autem vocem irrepsisse ex sequentibus. Nam placet eo loco, videlicet in l. Sed & reprobari, præcedentia verba, (Ulpianus ita scribit) referri ad præcedentia comprobanda. Sequentia autem *Sed & reprobari* & ea addita esse ex ejus XI. libro Pandectarum, latinis verbis, ut ibi fuerant. *

Alciatus in locis a te citatis ei & l. X. §. Stichum,

Z 2

* Scilicet humanitate, quam initio dixerat. b Notæ Jacobi Taurelli ad Ant. Augustinum de Excusationibus, quæ non exstant. c Tranquilli, & Capitulini hæc loca citavit Ant. Augustinus libro de legibus in Attilia, & in Julia de tutoribus, ubi & explicat quæ olim ad Modestinum scripserat.

d Utitur vero Augustinus, quia est eloquentius. Vid. Ulpian. in l. 55. D. de furt. Othoman. de JC. Cujac. in Modestino. e Idem Cujacio placuit, qui in Commentario ad tit. de excusationib. XX. anticis post Ant. Augustinum edito, sic ait, *Affertur Ant. Augustino viro doctissimo, qui leges a Modestino appellari, &c.* f Adeo non pœnitendum, ut & poetis nostratibus id placuerit. g L. Sed & reprobari, separatim scribebatur primitus, nunc vero legitur tanquam §. Sextus hujus legis Si duas.

* L. Si duas, 6. §. Et philosophos, 5. D. de excusat.

* Scilicet in l. XI. D. de munerib. & honor.

chum, verbailla, in ipsa cum præcedentibus jungit. Sed sic legendum, *vi quidem ipsa*: & hic ex his, & puncto ante vocem *vi quidem* appposito.

* L. 6. §. Legum doctores, 12. De excusat. Ad l. VI. *Latini libentius præceptores appellare eo nomine videntur* &c. verbum, *videntur* inculcatum hic statim sequenti membro. Item in l. Aquilius, non lego *Præceptorem*, sed *Rhetorem* & *magistrum*.

* L. Sed & milites, 8. §. Item vero, 7. D. de excusationib. Ad l. VIII. Cum de ætate militari agitur, atque ad l. VII. auctoritatem (a) respondes: ego amplius respondendum censeo: nam sic ejus verba capiebam: *Qui initio belli XVI. annos nati fuerant, neque militaverant*. Scilicet initio eodem, ut utrumque verbum *fuerant* & *militaverant* idem tempus respiceret. Tu vero separas tempus, quæ oratione conjuncta, & pro eodem significata videntur; notasse enim videtur censura illos qui XVI. annos nati principio belli non militassent, non autem qui XVI. annos nati belli initio essent, neque postea illo bello militassent.

Ad l. IX. Prætorias cohortes urbanas existimas fuisse. Festus autem, quem *Sextum* vos dicitis Pomponius, dictam ait prætoriam cohortem, quod a Prætoribus non discederet: *Scipio enim Africanus*, inquit, *primus fortissimum quemque delegit*, & reliqua, quæ scribit lib. 14. quo singularis hujus responsi sententia perspicitur, ut non cuilibet tribuno competat hæc excusatio (b).

Ad extremum actum (c): *Quæ siglas Justinianus appellat*. *Sigla* puto (d).

Item quod tabularios olim hodie tabelliones appellatos censes ego dubito. Videntur enim differre, ut colligitur collatis locis. De tabellionibus, seu pragmaticis mentio in l. *Moris*, §. 4. de præsen. de tabulariis in l. *Numerum*, §. *Hi quoque*, de munerib. & honor. Utrobique autem liberi homines fuisse videntur. Unde quamvis tabularii possent olim esse & servi, non idem & de tabellionibus lego.

* Ad l. 15. §. Jam, 6. correctio lectionis Florentine improbat. Quod in l. III. de Decurionibus in fine Florentinam lectionem corrigis, non video cur teneri non possit, ut *necessitates honorum accipias, qui non læderent superstitionem eorum*.

De consulum appellandorum ordine quod adfirmas, auctorem desiderat. Non dico non ita rem habuisse: nam observari potest, vel in his qui pluries fuerunt consules apud Livium, ut perpetuo, qui nunquam fuit, aut rarius postponatur ei, qui iterum, aut tertium renunciatur, aut frequentius, sed cur SC. Trebellianum, & Vellejanum a posteriori consule appellata sunt?

Quæ super tua conjectura (e) de sacerdotio in Flo-

rentino Codice occurrunt, ad fratris schedulam adnotavi.

Remitto ad te librum *Excusationum*, & tres priores *Opiniones*. Quartum penes me habeo, si placuerit tibi. Item & hunc *Excusationum*, quem mihi describi curavi, neque alius quisquam describet. Quod autem quæris ecquid supprimendos censeam, ego vero censeo (f) summopere placituros atque utiles futuros, præcipue legum studiosis. Illud non reticebo. Parcius vellem ut de me scriberes, ne qui mediocritatem meam non ignorabunt plus benevolentiam dedisse te, quam judicio existiment.

Sunt etiam hic qui vellent ante Pandectarum editionem excudi: quod editioni gratiam prærepturas credant. Ego contra hos libellos auctoritatem & gratiam antiquo huic Thesaurio conciliaturos comparaturosque arbitror, excitaturosque animos omnium in editionis desiderium. Statimque curavi ut Bernardus Juncta scriberet ad Thomam patruelem suum (Venetiis impressoriam exercentem) ut cum primum a Metello conventus fuerit, ei det operam & libros hosce excudat, conditionibus secum statutendis. Liberum erit Metello aut secum, aut cum quo alio maluerit, convenire.

De Antonino (g) nihil adhuc certi habebam. Curaveram autem, cum trecentos scutatos Patavii habere eum sciam, quingentos offerri ut Pisis doceat, quod scripsisse ad te meminisse videor. Vale Florentiæ XV. Kal. Junias Anno MDXLIII.)

LÆLIUS TAURELLUS A. A. S. D.

NON facile dici posset quantopere delectatus sum luculentissimo tuarum lucubrationum munere jam absoluto, cujus memoriam apud me nulla delebit oblivio, delectatus sum vero multis nominibus, & publicæ commoditatis, & existimationis tuæ, diligentiaque, cui omnes studiosi plurimum debebunt, & meæ cur enim ineptire tecum non liceat? gloriæ, cui tantum favisti, ut operæ pretium sit editionem illam nostram sustineri, ne excitatæ de illa expectationi res ipsa non respondeat. Quis enim tot, & tanta in tuis libris ex Florentinis Pandectis leget, quem non cupido incessat earum descriptionem pernoscenti? Quam autem quisque cum perlegerit quod tu non illustraveris, explanaveris, legisse se existimabit? Ut interdum cessatio ipsa commodior futura videatur.

Rursus fortuna ipsa, & rei difficultas, adversari adhuc videri possunt. Habebamus enim Franciscum Priscianensem h typographum Romanensem non ignobilem, qui officinam ad hoc ipsum huc trans-

a Responso ad l. 8. locum, quam Ant. Augustinus scripserat in libello ad Modestinum, quæque ibi legi potest.

b Ant. Augustinus ad Modestinum dubitans scribit prætorias cohortes urbanas fuisse, nisi forte, quod a doctissimo viro accipi placet cohortes prætorias eas intelligere, quæ a Prætoribus suis non discedebant certo militari numero immunes ut Sextus Pompejus scribit. Quo loco doctissimum virum cum appellat Lælii scilicet Taurelli adnotationem hanc respexit, quam paulo ante accepisse videtur, cum esset Venetiis editioni ejus libri intensus. Vide ipsum notis ad Sex. Pompejum. At vero Cujacius in commentario ad hunc titulum docuit differentiam esse inter urbanas & prætorianas cohortes.

c Nempe in explicatione legis Spadonem 15. §. Neque librarios, 5. D. de excusat. d Ita editum est ab Ant. Augustino.

e De sacerdotiis gentilium agit A. Augustinus ad l. 6. §. 8. & ad §. Ulpianus 13. & §. 14. Quæ adnotaverat Taurellus, interierunt cum schedula fratris. Cujacius sane Augustini de hac re enarrationes sequutus est lib. 2. observ. cap. 13. & in Commentario ad tit. de excusationib. f Ant. Augustinus sequutus consilium Lælii, Venetias se contulit, & quatuor fere mensium spatio libros istos excudi curavit. Nam ut in extrema pagina noratum legitur, *prodierunt Venetiis expensis hæc Antonii Junctæ Florentini Anno MDXLIII. Idib. Septembr.* De hac vero re idem Augustinus ita scribit lib. 2. Emend. *Nam cum Venetiis hos libros edendos curavi, atque ego legum & decr. Pontificior. libris Græcis darem operam, &c.*

g Antoninus de Medicis, de quo & epist. sequenti, per id tempus profitebatur Patavii. Nam anno 1542. cum Marianus Socinus Bononiam accitus esset, suffectus illi est Antoninus Thomasin. in lib. de Gymnasio Patavino lib. 2. cap. 12.

h De quo in Cl. Ptolomei libro Novæ Poëtices extant nonnulli versus.

laturum se pollicebatur. At Ducis ad Cæsarem salutandum iter (a), mox Turcarum classis incurfus, item ipsius ducis valetudo incommoda in causa fuerunt, ut ille aliis conditionibus, rebus suis consalere sit coactus. Videri autem poterit, ut absente me sub alienis oculis boni quicquam confici possit, cum in libellis tuis tanta tui ipsius diligentia peccatum (b) sit tamen?

Mihi quidem propositum erat non solum verba, & eorum contextum, ac seriem, sed & literarum figuram ubicumque per apertissimos errores non impedire, repræsentare. Neque tamen non omnem lapidem moturus sum, ut tibi morem geram, fidemque tuam absolvam, nisi plane fortuna repugnaverit. Interea moræ non erit inutile compendium. Recognosco enim jam tertio Digestorum libros, Francisco filio ex Florentino Codice recitante me vero, si quæ prius fugissent, reponente. Ad dam & dictionum, quæ varietatem, aut obscuritatem recipiunt explicationes: fortasse & quædam alia (nisi me occupationes transversum agant) non incommoda.

Metellum nostrum valetudinem recuperasse firmareque, quod feliciter efferit, gratissimum.

Antonini ratio (c) jam hoc anno haberi non potest, quod & ipse jam significavi. Opto Patavii floreat, donec Pisanum (d) Gymnasium ejus fiat capax. Neque tamen Alexandrino perniciem illum ominari arbitror.

Tibi Venetam peregrinationem variis lectionibus levatam gaudeo eo magis quod otii quoque istius rationem aliquando tibi constaturam confido, non sine publico compendio. Interea præ cæteris gratum fuerit, cum Romam feliciter (e) proficiscaris, hæc te quod olim receperas, iter instituire: qua te pollicitatione decessurum non sine magna, & necessaria causa persuasum habeo.

Dux noster jam valet, atque ad Podicanum vires colligit. Oram litoralem jamdudum præsidii obtineri, & Hetruscorum, & Ligurum: classemque Turcarum nondum statione decedere, postquam Niceam dimisit, compertum te habere existimo. Vale Florentiæ III. Kal. Octobris MDXLIII.

LÆLIUS TAURELLUS A. A. S. D.

Metellum nostrum hic pluviam tenuerunt. Cum autem in diem hic esset, cupiebam potius ferre ad te libellos tuos, quam committere illos incertis hominibus. Nunc autem, cognito per tuas literas ad me scriptas XVI. Kal. maturato opus esse, mitto ad te quicquid apud me discedens reliquisti, quicquid etiam habui, quod in causa illustris Sororis tuæ scriberem, quodque ad leges tuas notaram. In primo requires fortasse prudentiam

meam, diligentiam certe non puto: in altero utrumque. Sed tamen bis omnia scripta perlegi, minus indulgens, & plane criticus quantum ad res ipsas attinere videbatur. Cupio autem ut opus absolvas (f), & edas nobis. Cum autem absolvi me cupere opus dixi, non solum de Legibus, verum etiam de Senatusconsultis me dixisse existimato: namque tu de utroque titulum adjecisti. Rem tuam in eo esse ut absolvatur, & tuis, & Joannis Baptistæ literis cognovi, pariterque summa voluptate mea Cardinalis sui adversus te animi significationem. Gratias quidem egi meis litteris: Tum de... memoriam renovavi: ad Carolum quoque litteras dedi: Herculem moneri curavi. Cooptari te jam valde cupio. Sed & spero fore tabellam jam in manibus, collegasque frequentes in nostram sententiam ituros: Avunculum Hispaniam attigisse sospitem accepi gaudens. Tu vale, & me, ut soles, ama. De Pandectis alias scribam, aut Metellus exponet. Florentiæ IX. Kal. Febr. MDXLIII.

LÆLIUS TAURELLUS A. A. * S. D.

Jucundissimas literas tuas ad pridie Kal. Junias signatas accepi & statim allatus est nuntius victoriæ eorum, qui Cæsaris auspiciis Insubriam tuentur, adversus Pitilianos & Strocienfes in agro Dertonensi, & Honiano: in quibus ad III. Nonas Junias dimicatum est, neque alia scribam, quæ ad eam rem pertinent, cum Bononiæ notiora existimem quam ut insistere oporteat negotio * Diis bene juvantibus fruemur. Quam Romanenses homines opprimantur de re nostra leges his Caroli nostri literis, quas antea ad te non admodum curavi, cum te vix adduci posse crederem, ut ob hanc causam Romæ esses, qui mini ne ambitiosus prehensatu sis, & cum etiam Cæsaris legatum ab eis scirem, non solum a Pontificis animo, sed Roma. Nunc tamen obiter literas ipsas, ut legeres non extra rem duxi. Metellum hoc anni tempore Romam, & Neapolim parare iter, non ita valde probo. Scio enim ab his qui experti sunt, cælum urbium harum minime adventantibus opportunum esse, animo vero valde infestum; atque hominem ab ea opinione deducas velim salutisque suæ rationis habendæ admoneas. Consilii tui super vitæ instituto probatorem me haberes, nisi ea opinione semper fuisset, ut Romæ esse omnibus omnium institutis præstet, hocque ipsum pulcherrima spe, gratissima consuetudine plenum, atque omnibus votis expetendum sit.

De libris Alciati (g) nuper editis nihil nisi quod literarum tuarum continent, cognovi; quod tamen ita sit, ut si omnes perlegissem, non plura scirem, quæ ad opinionem meam de illis promendam pertinent. Vale, & Metellum nostrum, & Pontium salvere meis verbis jube. Florentiæ Nonis Junii MDXLIII.

Li-

* Ad visendum Carolum V. Cæsarem Januam Cosima Medices profectus est. Ad eam autem urbem sub finem Junii mensis anni MDXLIII. Cæsar venit tumque Florentinam, & Labronensem Hetruriæ arces Cosimæ tradidit, præsidio Hispanorum, & Germanorum militum imposito. Sandovalius T. 2. Lib. 25. §. 27.

b Id animadvertit ipse A. Augustinus, atque adeo post indicem verborum & rerum insigniorum apposuit errorum emendationes. c Antoninus de Medicis de quo & superiori epistola, & infra 1545.

d Quod Dux Cosima cœperat restituere hoc anno 1543. Vid. Adrian. lib. 3. Hist. Florent. Benedict. Varch. in lectione de anima Florentiæ habita hoc ipso anno 1543. Victor. præfatione ad Aristotelis Rhetoricam, & distinctius Robortel. Præf. ad Aristotelis scripta Pisis Kal. Junii 1548. e Epistola ad Jacobum Mendozam data Kal. Sextilibus 1544. de hac re. f Librum de Legibus & Senatusconsultis Bononiæ cum esset scribere cœperat A. Augustinus, & exemplar Taurello communicavit.

g Taurelli de Alciati libris opinio haud favorabilis.

Literas tuas ad Franciscum (a) Toletanum, post eum misi.

L. TAURELLUS A. AUGUST. S. D.

Literis tuis evangelia deberi fateor, ejus nuntiis, quo mirum in modum delectatus sum. Te tandem ad solemne istud, sanctumque jusjurandum (b) admissum esse: quo non tam tibi, quam ordini vestro, curiæque (quibus præclari ingenii, atque industriæ tuæ dotibus frui datum est) gratulemur; Justitiæ demum sanctitati, quibus templum, oppressis vexatisque, quibus per fugium paratum est. Atque his interim gratulationibus contentus, ne nimis multis orium tuum interpellem, avidius ardentiusque constitutiones (c) illas, item aliarum epitomen expecto, quam ut diutius desiderium tolerare posse videar, quod mihi excitaras. Quinque ludorum genera (d) Græcis vocabulis expressa jamdudum*, hoc Antoninus (e) noster verfat neque nihil reperturus videtur. Quidquid autem hic conjectari licebit, proximis tibi literis curabo. Ad Jacobum quoque fratrem scripsi, qui solebat nescio quid de alea in manibus habere. Franciscus Filius, qui tibi salutem plurimam dicit, nullo sacerdotio auctus est: cui nescio quid delatum esset, Vincentius vocatur, si per potentissimos qui rerum potiuntur, licuisset. Verum quid hac re futurum sit, in Dei manu positum est. Carolus filius octo his jam diebus tertiana exercetur. Spero cito valetudine optima eum usurum. Ita mihi vetus medicus affirmavit hora XII. cum ad Carolum decima scripsissem. Illi tu hoc recentius dixeris meo nomine. Vale & Metello nostro salutem plurimam. Florentiæ XI. Julii MDXLV.

A. A. LÆLIO TAURELLO S. D.

Dutius tibi deberi non potest, quod pene convictio a me flagitas munusculi, ut Græcas ad te constitutiones, quas isthinc Jo. Metellum tuum ad me attulisse scripseram, in latinum sermonem conversas mitterem, cum eo corollario, quod postea sum pollicitus. Habes jam quod expetisti. Nec illas solum ipsas accipies, quas ille in vestra Medicea Bibliotheca inter Pontificii Juris Græcos libros invenit (f): sed & alias, quas hic in Vaticana, & in aliis Bibliothecis, animadvertimus in Justiniani Codice Constitutionum desiderari.

Sed ut venatoribus, qui aliquot insignes feras ceperunt, voluptati maximæ est narrare, neque prædam spectantibus injucundum audire; quibus indicis atque vestigiis in eos saltus aut silvas pervenerunt; quæ fuerit canum, aut fociorum sollicitudo; quæque postea dum singulæ aut excitantur, aut

agitantur, aut capiuntur, acciderint; ita mihi faciendum esse putavi, ut quo pacto hanc nostram minoris fortasse voluptatis, non minoris tamen sudoris ac pulveris venationem peregerim, conscribam. Nam cum ante aliquot annos in eos Institutionum, ac Novellarum locos incidissem, quibus harum legum mentio fieret: cumque in his ipsis XII. libris constitutionum, & ex titulorum pollicitationibus, & ex adscriptis notis initio aliquarum legum, quæ Græcam aliquam deesse significarent, multa esse mutila, & manca vidissem: male nobiscum esse actum putabam, si eas aut consulto prætermittas Justiniani jussu, quod nonnulli docti viri crediderunt, aut aliquo fato amissas, aut alicujus invidia cælatas esse existimassem. Sed & cum animadvertissem ad calcem libri tertii conversam barbaram constitutionem extare, qua de aleæ lusu agitur: mirabar quid esset quod & illa, & Novellarum liber, & ea capita, quæ in Digestis Græce scripta sunt, a Berguntione (g) Pisano, ut Odofredus scribit, non a Bulgaro, ut vulgo creditur, latina, ut illis temporibus licuit, facta, tam cito perissent. Ecce autem & Digestorum loci peralati, & Græcarum Novellarum liber Haloandri, & aliorum ope, restituti pristino splendore sunt. Sed & ab eodem Haloandro in multis Constitutionum titulis diligenter est significatum quo in loco Græca lex desideraretur. His si nulis coactatus cœpi omni nostra & amicorum diligentia in Græcorum librorum Bibliothecis perquirere, an ne alicubi laterent inter Juris Civilis Græcos interpretes, quos permultos fuisse acceperam, quas investigabamus vagas illas feras. Et initio, ut illam Justiniani de veteri Jure enucleando omittam, quam apud te ex vestris illis Pandectis descripseram (eaque Græce, & Latine, ut illinc accepi, cum notis nostris earum rerum in quibus inter se diversæ sint interpretationes, suo loco posita est) reperta a nobis Venetiis est pulcherrima Zenonis Constitutio de ædificiis privatis in Bessarionis locupletissima bibliotheca, in eo libro in quo Justiniani, Justiniani minoris, & Leonis, ut vocant Sapientis, omnes Novellæ leges continentur. Ejusdem Constitutionis exemplum non satis integrum postea a nostro Metello isthinc repertum est, & quod longe præstiterit, viginti fere Constitutiones de rebus sacris conscriptæ. Quibus nos alias adjecimus tum ex tertia Synodo Ephesina, tum etiam ex aliis duabus Græcarum legum collectionibus. Ex quibus Epitomis quoque ac Paratitlis adjuti sumus, quod in his vestigia, atque sententias aliarum permularum inveniremus. Hæc autem collectiones, de quibus agimus, e quibus plus compendii factum est, cum Theodori Balsamonis, aut Jo-

a Erat ne S. R. E. Cardinalis ille, de quo Bentivoglius in *Memoriis & Aldret. de linguæ Castellanzæ origine?* An potius erat Franciscus de Toledo Caroli V. Aulicus cujus meminit sæpe in *Historiis* Jo. Baptista Hadrianus, anno 1545. & anno 1555. An vero loquitur de Francisco Toletano Cardinali Archiepiscopo Burgenfi, quem Hadrianus lib. 7. anno 1549. vocat *de la Casa de Toledo, e fratello del Vicerè di Napoli?*

b Solemni juramento præstito in Romanæ Rotæ Auditorio possessionem cepit A. Augustinus anno 1545. ut *Catralmajus* in *Syntaxi S. Rotæ Rom. Auditorum.* c Constitutiones scilicet Græcas Codicis Justiniani.

d De quibus in constitutione Justiniani 3. C. de aleatoribus. A. Augustinus lib. de legibus & in notis ad collectionem constitutionum Græcarum Codicis Justiniani. & in Paratitlis ad eum locum videndis. Pet. Faber in *Agnosticis. Meursius* de *Judis Græcor.* e Antoninus de quo supra ann. 1543.

f Nam primus in eum librum incidit, ut profiteretur Ant. Augustinus, hanc Metello laudem tribuens in *Præfatione* editionis anni 1567.

g Vide Paratitla ad Constitutiones, scilicet ad Novellam 90. ubi hæc latius confirmat.

annis Zonaræ canonum interpretationibus conjungi solent, aut cum Photii Patriarchæ XIII. titulis; quibus etiam nonnihil debemus in ludorum præsertim interpretatione, de qua, ut alias tecum familiariter jocabar, cornicum oculos me confixisse scripseram. Uno itaque volumine omnes leges comprehensæ sunt, quas Justinianus libro primo Codicis, & libro primo Novellarum (est enim is quoque liber in certos quosdam libros ac titulos divisus) de rebus sacris tractantes collocarat. Hæ tamen quas Græco sermone lib. 7. Codicis Justinianus constituit integre exstant magna ex parte: Latinarum vero, & ipsarum Græcarum quæ XIII. titulis continentur, in Epitomen redacta sententia est, additis singulorum titulorum, ut vocant, Paratitlis, in quibus similes loci ex aliis Juris Civilis partibus referuntur. Debetur quidem certe huic quisquis fuit, neque enim nomen adscripsit, non parum* quod ejus opera factum est, ne in optimis rebus positæ veterum principum operæ perierint. Nam licet pie ac sancte receptum esse videatur, ut in his rebus, quæ ad religionem constituendam pertinent, Pontificum non Regum sententiæ perquirantur: negari tamen non potest, quin moderandis omnibus Reip. partibus, seditiosis ac perniciosis civibus compescendis, ipsius denique religionis majestati tuendæ ac conservandæ, principum virorum auxilium necessarium sit. Sed ut illo revertar, unde sum digressus, his omnibus locis quos dixi in unum locum conjunctis, nostrum fuit onus tum eadem cum latinis libris conferre, tum veteribus vestigiis, indiciisque conjungere, tum ipsarum legum ordinem perscrutari, tum denique quam petieras, facere interpretationem. In quibus omnibus sapius fortasse me, & propter rerum ipsarum obscuritatem, ac novitatem, & propter nostras valde ab his rebus alienas litium occupationes, labentem, ac conniventem agnosces. Sed est in eo tua aliqua culpa, qui me in præcipitem locum adduxeris: Mea solum quod nihil tibi negare, aut sciam, aut possim. Quamquam, ut joculari desinamus, ego omnia præstare debeo, qui sciens prudensque me in periculum conjecerim. Vale Calendis Februarii MDXLVI.

L. TAURELLUS A. AUGUST. S. D.

SI tibi diurni silentii rationem redditurus essem, fortasse conturbare me oporteret, neque enim adeo plena esset pagina negotiorum meorum, quin altera otii quoque nonnihil ostenderet, quo aliquid ad te literarum dari potuisset: præsertim cum multis titulis debitor essem, tum aliis innumeris, tum vero immortalis munere constitutionum a te ornatus, cujus jucunditatem quotidie recentiorum experior, quam nec imminuet dies. Illas ego constitutiones non ante ciceritios dies acceperam: proinde nec vacui temporis aliquid fuerat perlegendi: paschales ferias expectantem morbus occupavit: rursus negotiosa tempora supervenerunt, atque adeo æstivas horas meridianas operiri oportuit; quibus tandem, munere tuo perlecto, delectatus sum magis an contristatus? Delectatus quidem mirum in modum quod multa & docta, & eleganter, tuo scilicet more nobis restituta sunt, sed non sine

molestia tot jacturas in rep. factas agnovi ex multis constitutionibus, quæ adhuc in tenebris jacent. Fruamur tamen interim optimis laboribus istis, neque desperemus posse & aliquo numine juvari ut & cætera aliunde eruantur. Sed ecce & altero munere beasti me jucundissimæ epistolæ, quam ad XVI. Kal. Sextilis scripsisti, non solum quod ex ejus summa cognoverim non pœnitere te muneris istius Christiani orbis dijudicandi; verum quod oblectet te stare quotidie operæ pretia forensis industriæ a gravissimis collegis, a more majorum, a disertissimis patronis, ab ipsis etiam..... luciporis nimirum, &..... sua Thervasia, quæ appellare soletis, tibi ex tuis Jurisconsultorum Principumque monumentis repræsentantibus. Verebar sane initio, quam in partem molestias istas pragmaticorum, & caudicorum accepturus esses. Confidebam tamen industriæ tuæ, ac ingenio isti versatili (quod de M. Porcio scribunt) fore ut natum ad id unum diceretur, quodcumque ageres. Macste igitur virtute tua, mi Augustine: tantum id cura quod scribis, valenter te hunc annum transegisse, præsentis animo, neque infirma valetudine, ut perpetuo facias; quod facile assequeris, si quod a victus sobrietate pro tua modestia semper facis, idem a laboris quoque, & studiorum mediocritate observes, neque nunquam oblectationibus quibusdam te recrees: reminiscere, & ineptiarum quoque Publii Scipionis aliquando cum C. Lælio in calculis, & umbilicis litoralibus. Nam valentiores deinde evadimus ad obeunda munera, & diuturniori tempore perduramus. Neque solæ literarum delitiæ recreant, immo & ipsæ spiritus fatigant, & exhauriunt, quamvis ad humaniora, & leviora studia te convertas. Cogitationes enim incurrunt, & occupant animum, qui relaxandus est. Sed næ ego ineptus, qui monitorem induam, ipso maxime indigens. Illud potius, didicisse me complura in legibus tuis, plurima autem superfuisse addiscenda, quæ prope antem interpellatumque fugerunt. Amabo te, mi Augustine, aut cura libellum publice scribi, & studiosis pervulgari per impressores: aut mihi privatim usque ad legem Sejam, de qua sic ais: *Seja apud Ciceronem II. de legibus vulgo scribunt, a quo loco leges & Senatusconsulta integra habeo.* Sed & vellem curari mihi abs te literas ad Idiaqueum tuum super magistratu illo Senensi pro Camillo genero: nam quas misisti, ob Reip. Senensis (a) perturbationes ad Comitatum Cæsaris delatæ non fuerunt. Illæ jam importunæ essent consenserentque. Nunc eas ad te mitto rescindendas, si videbitur. Dux etiam meus oratori suo mandata dedit de negotio curando. Tu argumentum ex ipsis literis in memoriam revocabis. Vale. Florentiæ pridie Kalend. Sextil. MDXLVI.

L. TAURELLUS A. AUGUST. S. D.

QUÆ super Camilli mei negotio principio scribis, ego quoque in deliberationem adhibueram, vel ab ipso Duce meo admonitus. Visum est tamen e re fore, ut oratori ejus negotium totum permitteretur, qui in quamcumque occasionem præsto esset: atque ipse ita moderaretur, ut Senensium

* De Statu Reip. Senensis per id tempus legatur Malavoltius.

sum res pertractari animadverteret, atque ita te literas curare volebam: & quales, & ad quos, tute arbitrabere. Quod cupis ex Laurentianis libris aliqua expiscari ad tuas Constitutiones pertinentia, equidem conabor. Vereor autem neminem me idoneum inventurum. Nam Æmilium nostrum nescio quo fato amisimus. Pœnituit scilicet hominem angustorum (uti existimare videbatur) hujusce comitatus institutorum, haud periinde similiam Gallis illis: recessit ergo: neque mihi alius occurrit sic ab ingenio, a legum studiis, a rerum Græcarum notitia paratus, ut id negotii sustinere possit. Videbo tamen: & si quid confieri poterit, habebis. Nam quod me aliquid ad eas Constitutiones animadvertere jubes, quæ præstare possum nullis opibus instructus? Illud potius quod ad Edictum composuisse significasti, ut perficias: nam opere in illo fortasse nonnihil iudicii cognitionisque nostræ esse poterit. Libens ibi consuetudinem meam tenebo, & quoniam ita velle soles, quod opus erit, admonebo te, quo auctore non dubito nos omnibus legum nostrarum fontibus apertis, atque purgatis (a) jus tandem purius, & copiosius haustum. Porro perge, mi Augustine, & quod tu non minus vere, quam belle de ludorum quinque interpretatione scripseras, cornicum oculos confige; probe enim nostris hisce magistris juris ostendis quanta ipsi non cognoverunt, qui ceteros se docere posse arbitrabantur. De iudicandi munere quæ scripti, non ego ex literis tuis interpretatus sum; sed ex animo adieci. Nunc etiam id auguro, immo & initio existimavi fore ut & munere in isto methodum quandam & rationem aut novam invenias, aut per manus traditam expolias, qua litigantes non æternis controversiarum mæandris absumantur: sed brevi explicent se, atque ad suum perveniant.

Pandectarum editio postquam Princeps alibi quam Florentiæ * negavit, miro silentio transacta est. Quærebatur (b) enim typographus, qui officinam hic instrueret, atque interim Gryphius per novos quotidie nuntios appellare me non desinit; quos omnes ego ad Principem rejeci: inter quos Æmilius (c) altero ab hinc mense accurate ipsum alloquutus, responsum non tulit. Mecum quidem præclare agi videtur, ut in egregia opinione, quam de me tuis libris excitasti, conquiescam; nequaquam scilicet illi responsurus; si meo ductu libri illi ederentur; quos tamen alius nemo præter te, aut Metellum nostrum recte editurus videtur.

Gaudeo tibi respirandi spatia non deesse dum iis quas enumeras oblectationibus te recreas. Sed vereor ne studia ipsa literarum ita te occupent, ut ceteris posthabitis totos dies in earum complexibus absumas: alioquin cur non aliquando Bembum, aut frequentius adires? Quod tu erratum quidem appellas, ego autem non tantum ex eo quod virum illum clarissimum non convenias, quantum quod nunquam a literarum studiis discedas, erratum in-

terpretor. Quo magis etiam atque etiam vide ne admonitionem meam relatione potius, quam re ipsa minus necessariam ostendere coneris; quod in accusationibus jura aspernari solent, ut relatione criminum potius quam innocentia reus purgetur.

Victorius urget expolitionem librorum suorum in Rhetorica Aristotelis prima quaque die illos editurus (d) Æmilius (e) notas in libros Digestorum omnes emittere cogitabat, cum primum Bibliothecam a Galliis reciperet, initium autem editionis a titulo de Legatis cum omni legatorum tractatu. Nescio an mutato postea vitæ instituto, atque in pulverem forrasse, & solem, ex umbra, quam appetisse videbatur, reversurus, sententiam mutarit. Metellus noster si mea scriptione implicatus est, discet cum de Cicerone dubitarit, Hypseum aliquem aut Cn. Octavium consulere, qui de quo loquatur non intelligat, seque & alios implicet, involvatque, unde explicare se nequeat, quod ego adhuc fecisse videor. Tu vale, atque illum meo nomine salvere jube. Florentiæ XIII. Kalend. Septembr. MDXLVI.

His litteris datis subiit reputatio, num recte facturus videreris, si opusculum tuum *ad Perpetuum Edictum* Duci nostro inscriberes, ac nuncupares: argumentum videretur opportunum vellendi aurem, ut *Pandectarum* editionem cogitaret. Totum autem iudicio tuo relinquo.

L. TAURELLUS A. AUGUST. S. D.

EGO mei silentii nullas excusationes adfero. Solum dicam, cor ipsum nunquam siluisse: quin te adii, compellavi, allocutus sum cotidie, atque invicem audivi colloquentem, & dulcissima consuetudine tua identidem usus sum: quod autem negotiosissimum obstrependo non interpellarim, in optimam partem abs te acceptum non dubito. Plurimi dies sunt, liber πολίτικῶν quem cum his litteris habuisse te existimo per Arnoldum nostrum ad me directus est, ut ad te mitterem. Id ego scilicet non illico curavi, partim non idoneum, certumque hominem nactus, partim quod satis esse ducerem, si feriatis hisce a foro diebus eo utaris. Laurentius (f) typographus jam hic domum conducit, bombycinam chartam curat, cetera molitur, ut mense Majo, cum familia & officina adfuturus. Tu valetudinem sedulo cum Metello nostro curato, quem ego plurimum salvere cupio: atque ambo, ut soletis, amate me. Florentiæ pridie Kal. Aprilis MDXLVII.

L. TAURELLUS A. AUGUST. S. D.

Idibus cœnanti mihi redditæ sunt literæ tuæ pridie Kal. Sextilium, quibus de Basilicis libris quatuor ad te nuper delatis, quodque operæpretium hinc te facturum opinaris significas: tum propterea cupere duos alios e Bibliotheca Laurentiana libros, aut eorum descriptum. Equidem eodem ipso die cum

a Forte deest verbum *ius*. b Et allatus tandem est ex Flandria Torrentinus, ut epistola sequenti 1647.
c Scilicet Ferrerus. d Edidit P. Victorius duobus post hæc annis, nempe anno MDXLVIII. Florentiæ ex officina Bernardi Juntæ *Commentarios in tres libros Aristotelis de Arte dicendi* Cosmæ Mediceo dicatos. Eisdemque *Commentarios* perpolitos & meliores multis partibus factos post viginti annos iterum edidit anno 1579. Francisco Cosmæ F. dicatos.
e Æmilius Ferrerus. f Laurentius scilicet Torrentius Flander, qui *Pandectas* edidit privilegio Caroli V. dato Bruxellis 23. Sept. 1549. & Pontificio 1550. Editio autem perfecta est anno 1553.

cum rescribendum esset id voluminis curare tibi non potui: faciam autem sedulo: & siquidem certum hominem nactus fuero, qui recte perferat. Sin autem sic habe, existimare me librarium hic reperiri vix posse qui describat. Videbo tamen, & proximis literis significabo tibi quid fieri possit. Neque committam, ut qui nihil fere adjuventi ad rempubl. ingenii, virium imbecillitate adferam, opellis saltem his exhibendis, non adjuvem labores tuos [a] fecundissimos, urbiq; & orbi valde profuturos. Vale Florentiæ Id. Sextilis MDXLVII.

A. A. JACOBO MENDOZÆ S. D.

SI quantum cognoscendo earum rerum pondere valemus, quas aggredimur; tanta aut ingenii, aut temporis, aut librorum, & aliorum auxiliorum facultas esset: non ita magna aut Tu, cui ego nostra maxime probari velim, aut cæteri, qui nostris libris operam dant, delectatione, atque ope carent. Sed & si ad eadem hæc doctissimorum virorum quisquam (quos permultos nostra tempora habent) oculos adiceret, maximumque vulnus præclaræ huic parti Juris illatum curaret, manus fortasse abstinere ab institutis cognitionibus. In aliud quoque tempus easdem differrem, si sperarem me aut hæc ipsa majori otio, aut alium quemvis aliquando accuratius esse traditurum. Ut tamen cætera forsitan præstarentur, non ingenui hominis esse videbatur interea his ipsis opibus nostræ professionis homines privare, quas majori fortasse felicitate amicorum, quam curæ, atque ingenii laude consequuti sumus.

Itaque hunc ipsum Novellarum Constitutionum Justiniani librum (b), quem Gregorius Haloander præclare de nostræ scientiæ libris meritis, & Græce ediderat, & latine converterat, quantum illi per Græcum codicem licuit non indiligenter, nunc nos permultis legibus, & Græcis & a nobis Latinis factis locupletatum, Juris studiosis tradimus (c). Accedit Juliani Antecessoris Byzantii Epitome, quæ sola ab Accursio, Gratiano, & cæteris ejusdem temporis Novellarum nomine appellatur, cujus & elegantia, & brevitatis mira, digna erat Justiniani ipsius auctoritate. Bulgari vero illam, sive, ut arbitror, monachi cujusdam, quod Irnerius significare videtur, interpretationem, cum Juliani, & Haloandri verbis conjunximus: ut omnibus satisfacerem, illis præsertim, qui a docto quodam poeta, recentis temporis eruditos viros contemnescentes, exprimuntur: „ Vel quia nil rectum nisi quod placuit sibi ducunt: Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ imberbes didicere, senes pudenda fateri “.

Et sane cum tam multis libris ejus interpretatio-

Tom. VII.

^a Eodem tempore Ant. Augustinus Pandectarum Florentinarum, & Basilicorum restitutioni vigilabat, id est, duabus partibus universi Juris Romani. Quin ex Basilicis suppleri posse lacunas Florentini exemplaris prævidebat, de quo postea Ant. Continus tractavit lib. 1. Disp. cap. 14.

De Basilicis & quos eorum libros Ant. Augustinus collegerit vide apud Cujacium in præf. lib. 60. Basilicorum & Suarezium in Notitia Basilicorum quæ & edita est cum corpore Pandectarum Anselodami, ann. 1663.

^b De Novellarum versione latina differit hæc epistola qua de re operæ pretium est repetere quæ Augustinus scripsit in Paratitulis ad Novellam Constitutionem 90. tom. II. p. 333. & in Notis ad Collectionem primam Decretalium tom. IV. p. 96. & 97.

^c Tradere quidem statim voluit: sed postea distulit usque in annum 1567. quo nimirum collectionem istam Novellarum, & Juliani Epitomen edidit cum doctissimis præfationibus, in quibus accuratius repetit tum quæ hæc epistola ad Mendozam dixerat, tum quæ in alia ad Taurellum Kal. Februarii anni 1546.

nis mentio fieret, ne doctorum virorum lucubrationes, a quibus adjuvamus, neglectæ esse viderentur: hæc quoque in parte nonnihil curæ adhibuimus, tum ut vulgaris hæc interpretatio diligentius scriberetur, quam a cæteris factum est, tum ut ceterorum verbis nostra nonnunquam cura apertius quid dicitur, ab omnibus intelligeretur. In Græcis autem verbis, quæ Haloander (ob ejus exempli menda quod ex Lud. Bononiensis, Dominicana Bibliotheca descripsit) multis modis mendosa edidit, multum laboravimus. Neque enim ignoras, me dum nostrarum Emendationum atque Opinionum libelli isthic ederentur, per te fuisse consecutum, ut ex Mariana ista singulari Bessarionis Bibliotheca, domi tuæ, cum multæ eruditionis viro Arl. Arn. Peraxilo, alio etiam Græco librario adhibito veterem quendam τῶν ἐπιγράφων librum contulisse, ex quo permulta describenda curavimus, quæ nunc in vulgus edimus.

Per te etiam isthic Juliani Epitomen a docto quodam viro optimo causarum patrono, Lugd. conscriptam consecuti sumus; quam postea ex Andr. Alciati præceptoris, veteris libri exemplo (quo nos Jo. Metellus noster donavit) permultis mendis expurgavimus. Lælii quoque Taurelli doctissimi viri ope aliud Novellarum exemplum ex Marianorum sodalium bibliotheca, Florentia allatum ad nos est. Quod licet non ita plenum esset, atque illud Venetum Bessarionis; tamen juvit eam ob causam maxime nostras operas, quod certo sciamus ex eo Lud. Bononiensem describendum curasse id exemplum, quo Haloander ipse usus est. Quo adhibito cognovimus, quænam illa essent, quæ Haloander de suo addidisset, veteris interpretis latina verba secutus: fuit enim vir ille audacior nonnunquam, quam in bonorum librorum editione opus est. Quod nos & in Pandectis, & in hoc libro, permultis locis deprehendimus.

Horum trium librorum varietatem, Norici, Veneti, & Florentini, maxima diligentia persecuti sumus. Nam cum hujus voluminis initium, & quasi fons quidam incertus sit; non licet nobis idem quod in Pandectarum Tuscarum insigni illo monumento facere. Sed lectores judices esse volumus melioris scripturæ. Atque ea maxime de causa tam multis usi sumus & libris, & interpretibus, ut ex his omnibus doctis, indoctisque Justiniani sententia constare possit.

Fuimus vero, ut arbitror, amicorum auxiliis fortunati, ut ex tam præclaris doctissimorum virorum muneribus in libertatem hi libri vindicarentur. Sed quoniam ita omnibus fere in rebus evenit, ut, quæ nostra est humanæ imbecillitatis condicio, nihil possit tam accurate diligenterque tractari, quin

A a mul-

multa multis de causis inchoata potius, quam perfecta jure appellentur, indicem huic epistolæ subiciemus earum constitutionum, quæ unicuique horum trium interpretum defuerunt, quæque adhuc, aut Græcæ, aut Latinæ desiderantur. Eas poterunt alii investigare. Neque enim dubito alios exstare veteres Novellarum codices: atque scio neutrum horum duorum librorum, quibus ego usus sum, fuisse a barbaro illo interprete conversum. Latinum exemplum Juliani, & veteris interpretis plenius inveniri posse reor, ut ex aliquorum Juris interpretum scriptis constat. In quibus aliorum labore libenter fruemur. Ex ipsarum vero constitutionum lectione lector cognoscet, eas Justinianum minime collegisse, sed per se singulas, novis causis excitatum, constituisse, veteris Juris supplendi, aut corrigendi gratia; eaque de causa variare nostrorum librorum ordinem, quem tamen nos intra Veneti libri fines (qui omni fere ex parte eum Florentino conveniunt) continendum esse putavimus, sed & ipsam ordinis varietatem non uno in loco significabimus.

Desiderabit aliquis fortasse in Accursiana interpretatione latinam linguam, in Haloandro, ob mendosos libros, veri interpretis fidem, in Juliano pleniorum explicationem, in nostris rebus eruditionem Græcarum præsertim literarum, quarum nos, etsi non rudes, tamen non ita periti sumus, ut non aliorum laboribus indigeamus. Sed tamen si nostrum unusquisque omnem operam atque studium in juvandis studiosis nostræ disciplinæ adhibuerit, si a ceteris item cetera, quibus nos caremus, in commune prodeant, nihil erit quod ulla ex parte desideretur.

Et ut possim alios excitare ad exornationem nostræ disciplinæ, scire velim omnes nostri ordinis viros, hunc ipsum Græcarum Constitutionum librum ante ipsum, ut opinor, Julianum (qui multis sæculis Bulgari ætatem præcessit) Latine scriptum fuisse. Testis est Gregorius ille Pontifex Max. cujus virtutes consecratos colimus; apud quem non pauca ex eo relata invenimus, quæ in nostris quoque Pontificiis libris exstant. Fuit autem is non multis annis post Justiniani imperium, & ut idem ait, Græcam linguam nunquam didicerat; ne quis eum fuisse illorum verborum interpretem arbitretur.

Ejusdem interpretis esse arbitror eam constitutionem quæ in concilio Chalcedonensi reperitur, quam totam suo loco tradimus. Item aliæ quæ ab Accursio, Alberico, & Gratiano aliis locis reperiuntur relatæ. Illud potius crediderim, hunc (*) librum in Romanis studiorum civilium Gymnasiis (quæ cum Byzantiis, & Berytensibus Justinianus ipse sola reliquit) latine conversum versari solitum: in eisdem Julianum aut ex Græca persimili epitome, quæ in nonnullis Novellis exstat; quas arbitror * Theodoro aut a Symbako (ita enim accipi) esse conscriptas; aut ex integris ipsis legibus confecisse. Juliani tamen librum, utpote breviorum, & nostris studiis aptiorum illum alterum superasse temporis memoria videmus: hunc postea eadem passum naufragia Irnerii, atque Bulgari

temporibus. Nam ut nostri veteres interpretes obscure significant, Alciatus vero noster apertius memoriæ tradidit, cum Juliani hæc epitome, Novellarum nomine, circumferretur, & eiset qui Græcum hunc τὸν ἐπιτομῶν librum haberet, visum est dare operam, ut latine redderetur inepto illo dicendi interpretandique genere, quod tunc solum vigebat. Itaque singulorum verborum significatione prodita eum librum, uti majoris auctoritatis & quasi ceterorum exemplar, authenticum appellarunt; qui cum ab illorum temporum interpretibus, repugnante tamen Irnerio, reciperetur, eidem Irnerio, aliisque commissum est, ut Juliani & Monachi illius interpretatione * in novem libris constitutionum veterum interponerent, quid Novellis suis constituerit *. Tum illæ proditæ sunt Authenticæ Constitutiones, ita enim appellarunt, quas in Justiniani Codice habemus, opus utique non aspernandum; etsi possent eadem nunc accuratius ex his libris conscribi, aliisque non paucis legibus plura addi, quam ab illis factum est.

Nos vero interea ex quibus locis hæ constitutiones perceptæ sint, operæ pretium visum est indicare. Sed & adjecimus eas constitutiones, quarum mentio ab Justiniano fieret, si modo eas exstare crederemus; quæ in re Accursii & ceterorum interpretum libris adjuti sumus. Non nihil etiam Codice Theodosiano, cui persimilis Novellarum Theodosii, Valentiniani, & Marciani collectio adjecta est. Nam ad Theodosii exemplum constitutionum collectione facta, recentiores leges *Novellas Justinianus* appellavit. Quod nomen initio posterioris editionis Justiniani Codicis * futuris legibus imposuit, idque nomen elegantioribus latinæ linguæ temporibus usurpabatur. Nam Cicero libro V. de finibus ita scripsit: *Vivere vitam & mori dicimus, arborumque & novellam, & vetulam, & vigere, & senescere.* Virgilius quoque in Rusticorum Carminibus:

Tum credo cum me arbutum videre Myconis

Atque mala vites incidere falce novellas.

Ita etiam Alphenus ait cap. 8. de fundo dotali, *virum in fundo dotali olivetum succidisse, ut id novellum reponeret*; & Paulus cap. 6. de impensis, *Utiles esse impensas, si maritus in fundo novellum fecisset.*

Illud tamen prætereundum non est, harum constitutionum numerum, ut de ordine etiam questi sumus, varium fuisse. Nam licet nos Bessarionis, & Florentinum exemplum secuti, CLXVIII. Constitutiones conscriptas fuisse notaverimus, in his tamen quatuor Justiniani minoris, tres Tiberii Constantini, item tres Præfectorum Prætorio sunt. Ex quo apparet, post Justiniani mortem earum collectionem, quæ nunc Græcæ exstat factam. Apud Matthæum vero Monachum, qui Pontificiorum Conciliorum regulas Græcas collegit, CLXX. fuisse reperio. Multo vero minorem numerum in Juliani Epitome, & Accursiano libro. In Florentino quoque, quem Haloander secutus est, licet numerus conveniat, tamen permultæ constitutiones omif-

* Scilicet Græcarum Constitutionum Novellarum latine scriptum.

omissæ sunt, ex quibus nonnulla his, quæ exstant, inferra videmus. In hoc tamen libro adnotatum non erat, quas Julianus, quas etiam Tiberius addidisset, nisi quod in tribus postremis, vel duabus potius (nam tertia dimidiata esse videtur) quas Præfectorum fuisse diximus, id significabatur. Quamobrem ego existimaveram, & Justiniani tempore aliquot collectas, & post ejus mortem alias additas, quoad intra hunc numerum, & ordinem Veneti libri constiterint. Sed & illud sciendum est, quod idem Matthæus, & Constantinus Harmenopolus scribunt, Leonem Imp. per Sabatium equitum magistrum (ita enim placet *protospatharium* interpretari) ex quinquaginta Digestorum & duodecim Constitutionum libris, item Justiniani, Justinii, Tiberii, ac ceterorum Novellis LX. libros τῶν βασιλικῶν ita enim inscripsit, confecisse. Eundem Leonem CXX. Novellas Constitutiones scripsisse Matthæus refert, nos vero ad CXIII. in Veneto illo Bessarionis libro vidimus; quas, quoniam nostris temporibus non magnæ auctoritatis fore credidimus, eas describere, atque edere negleximus. Illud tamen Leonis LX. librorum volumen, quod Romæ esse audio, & Viglius vir doctissimus, se habuisse fatetur, Basilici nomine, effecit, opinor, ut pleraque in his libris immutarentur. Cum enim Græci Juri Civili operam darent, Leonis Collectionem sequentes; quæ ex his tantum legibus constabat, quæ in judiciis obtinebant; & si Novellæ hæc Justiniani exstarent, tamen ad illius libri scripturam, ut existimo, deducebantur. Hinc illæ variantes Florentini, & Veneti libri manarunt. Est enim Venetusea de causa plenior, quod nihil fere, aut admodum pauca habeat a veteri scriptura immutata: quod contra in altero est. In utroque tamen adjectum sæpe extra ordinem litterarum est, quo loco eadem constitutio in Basilicis libris reperitur, itemque* constitutio, & quamobrem illic scripta non sit, & alia præterea, quæ nos omnia pene in his libris addimus: ut si aliquando LX. libri Leonis edantur, usui esse Græcorum Interpretum labores possint.

Et quidem quando in hujus libri mentionem incidi, non hac solum de causa eos libros publicari cupio, ut hic ipse Novellarum legum liber & plenior, & clarior fiat, sed ut ceteræ Græcæ Constitutiones, quas XXX. amplius numero in Justiniani Codice deesse scimus, reperiantur. Ex quibus unam ex eodem illo Veneto descripsimus Zenonis ad Amantium *P. V. de ædificiis privatis*, cujus & in Latino Codice, & in Novellis, non uno in loco mentio fit, quam tantisper intra privatos parietes continebimus, dum ei ornamentorum aliquid quæsierimus. Ex eodem libro XIII. Justiniani, Edicta huic libro conjungimus & Justinii minoris, & Tiberii Novellas aliquot, quæ nemo jure aspernabitur. Sacras vero Præfectorum Prætoriorum formas, tum alias Tiberii, & Irenes, & Constantini Novellas, temporum vitio ex eodem libro sublatas, ex indice quodam ani-

madvertimus. Atque etiam ex Florentino quattuor Novellas intra hoc triennium esse sublatas scimus, quas nos ex ejus exemplo quondam descripsimus. Item illas Alexii, Porphyrogenetæ, Michaelis, & aliorum recentiorum Imperatorum Novellas, quas Haloander habuisse se ait; in quibus docti cujusdam interpretis*, de filiorum familias peculiis, & testamentis, atque de privilegiis creditorum, & qui potiores habeantur, & de præscriptione sacrarum ædium, quæ aliquando in vulgus edemus.

Et ut facile liceat horum interpretum utilitate frui, eosque & inter se, & cum Græcis legibus conferre, Constitutiones singulas in aliquot capitula divisimus, numerosque similes singulis interpretibus adhibuimus. Item vulgarem divisionem non negligentes, grandioribus literis singulorum capitula initia notavimus; quo possimus facile quæ apud Accursianos interpretes relata sunt, reperire. In separatione autem hac, & capitula numeris, sequimur, dum licet, duo illa quæ habuimus exempla, in quibus aliquando id diligenter notatum est: cum vero illis deficiamus, Juliani Epitomen, quam ex Alciati (a) nostri libro habuimus: in quò non solum singula capita separantur, sed & tituli quidam breves ipsis partibus inscripti sunt, quos nos non prætermisimus. Et sane a Græcis ita hæc Constitutiones referri solent, ut Novellæ & capitula numerus significetur, quod ut a nobis usurpetur (b), vehementer probaverim.

Quod nisi nobis molestæ occupationes impenderent; omnium harum legum interpretationem facere, fuerat in animo. Sed tamen, iniquis spatiis exclusi, contenti fuimus eo labore, ut Haloandri & veteris interpretis verbis nostra, quæ substitui possent, adderemus: quo clarior Justiniani sententia fieret. Addidimus etiam qualdam ad Irnerium notas. Item variarum opinionum exemplorum, & interpretationum, excursiones breves. Neque ea omisimus quæ in Veneto libro reperimus σχολία, quibus & similibus, & abrogatarum legum, & abrogantium mentio fit, quod nos quoque diligenter persequimur.

Illud prætereundum non est, Constantinum Harmenopolum, & Matthæum Monachum auctores esse, ea de causa, in his legibus Justiniani, constantiam, rerum atque verborum claritatem, atque ordinem desiderari, quod cum ad Tribonianum nutum leges omnes fierent, isque eas venales (si Diis placet) haberet, partim varias, ut emptoribus satisficeret, partim obscuras, & ambiguas, ut interpretationes quoque ei lucro essent, confecisse. Omnibus autem rebus eum, qua erat animi atque ingenii facilitate, novas rationes, & causas addidisse. Sed mihi licet reprehendendus Justinianus videatur in tanta legum varietate: tamen magis placet ejus facilitati imputare, quam Triboniani avaritiæ. Neque est quod maxime miremur magnam hujus libri varietatem, cum eo contineantur, quæ XXVIII. * annis ille con-

* ante
XXIX.

A a 2

fi-

* Postea autem, idest, post 23. annos, cum Julianum edidit, Hierdæ anno 1567. non solum Alciati librum hunc, sed & alium Ecclesiæ Pallantinæ habuit.

† Ita equidem probavit etiam Cujacius, usurpavitque, ac post eum alii.

stituit. Nam Constitutionum codices duo, Institutiones, atque Digesta nono ejus imperii confecta fuerant. Quod si in illis libris permulta de iisdem rebus varie sancita sunt, minime mirum videri debet, in hac * quoque temporum occasione variatum. Quod vero ad obscuritatem, & ambiguitatem attinet, non probo eorum sententiam. Est enim hic liber copia quadam dicendi verbosior, ipsaque illa earundem sententiarum repetitione omnia explicantur, vetus jus refertur, cur singula, aut mutantur, aut constituantur, rationes redduntur. Ipsa denique legum proceria, atque periodi nihil non lucis, & claritatis addunt. Quod si quis hoc ipsum reprehendit quod hæc verbosius tradantur, quam in cæteris libris fiat: Primum consideret velim, has leges integras proponi, & per se editas fuisse, illas multis modis & ante Justinianum ab his, qui cæteros codices conscripserunt, & ab eo fuisse mutilatas. Id vero ex Theodosianis legibus inspicere licet, post quas Novel læ quoque exstant, quas dixi, Theodosii, & Marciani his nostris similes, utpote post illum codicem per se editas. Jam vero ne post tam multos Jurisconsultorum & Imperatorum libros, post tantam Justiniani veterum legum varietatem, brevis ea legum claritati noceat, non est quod verborum multitudo necessaria reprehendatur. Et ut cum his legibus veterum legum emendationes contineantur, ut recte initio hujus libri in Bessarionis libro additum esse vidimus, mirandum non est, si rerum, ac temporum perturbationem hoc pacto effugimus.

Hæc sunt, mi Mendoza, quæ continentur hoc libro, qui tibi, cui dicatur magna ex parte debetur. Est etiam in manibus *De Jure Pontificio* ante multos dies opus inchoatum, cui si mihi otioso in urbe esse licebit, quo tua opera & consilio, quam primum cogito, Pontificia Bibliotheca inspecta, manus extrema accedet. Genus autem hoc studiorum (ut & libris utamur emendationibus, & ad interpretationem aliena lingua scriptorum, aut ejusdem cognitionem adhibeamus, aut quod ei proximum est, peritis interpretibus operam demus) scio te minime esse reprehensurum, cum te ipsum noverimus ex Græcis, Latinis, atque Arabicis libris, quos tu ex omnibus totius fere orbis regionibus e tenebris, ac vinculis, in lucem, ac libertatem vindicasti; Peripateticorum disciplinam, quam optime calles, Aristotelis tui libris (passis iterum veterem illam Strabonis cariem) emendatis exornare. Quod si tu, qui non solum Venetiis, sed in toto fere Quinti Caroli Cæsaris Imperio omnium rerum ac consiliorum administratione occupatissimus, studiis Philosophiæ, cui tu, ut ceteris disciplinis, delectationis causa operam das, opem ipse ferre non indignum tua dignitate esse ducis: quid nobis fiet, quos vel Juris interpretum nomen, vel Jurisconsultorum admonere debuit, tum ut interpretationem ipsam Juris præcipuam esse nostræ scientiæ partem putemus; tum etiam ut qui ab aliis consulimur, qui nostram opem desiderant, ipsis Juris libris tandem

aliquando consulamus. Sed quoniam excessimus epistolæ modum, huic libro denique te velim patronum constituas, qui si indignus per se tuo auxilio erit; at quod sit is a me ad te missus, tuum esse necesse est. Vale, Calendis Sexstilibus Bononia post Christum natum MDXLIII. anno.

A. A. HIERONYMO FRATRI (a).

NON sum nescius, Hieronyme Frater, cum hic liber ad tuas manus pervenerit, miraturum te, quid sit, quod hoc tempore quo tam multis doctorum ingeniis Jus civile traditum sit, quasi rem ab illis, aut prætermittam, aut imperfecte explicatam, de Legibus ipsis Senatufve consultis, quæ nostræ disciplinæ fundamenta sunt, nunc tandem perscribere fuerit necesse. Id autem ipsum cur ad te potius, qui numquam fueris nostris libris legendis occupatus, quam ad eos, qui Jurisprudentiæ sacris initiati, quantum auxilii queat hoc libello Juris studiosis præstari, judicare facile possint. Et mihi quidem neque aliorum laboribus invidere, neque quenquam intempestive interpellare, ingenui hominis esse videtur. Sed accidit tamen nescio quo modo, ut ad hæc ipsa conscribenda nihil minus cogitantes accederemus. Nam cum ante aliquot annos Juris nostri civilis non mediocrem cognitionem ex variis variarum rerum scriptoribus colligi posse putarem subcisivis quibusdam horis, ut ajunt, eorum libros versavi potius quam legi, qui mihi ad veterum, aut legum, aut temporum cognitionem satis esse videbantur. In his cum hæc ipsa Jura quæ in Justiniani libris referuntur, quæ tamen nonnunquam diligentius explicata sunt, tum alia permulta eisdem libris vel abrogata, vel omissa, vel in alia nomina commutata animadvertimus. Quibus colligendis, aut declarandis, si veterum Jurisconsultorum libri omnes exstarent, non laborarem: ut enim in hac ipsa urbe * ex dirutis magnorum ædificiorum parietinis, quantum Urbs hæc ceteris omnibus præstiterit, cognoscimus; ita ex brevibus, & mutilis Jurisconsultorum sententiis, quæ ab Justiniano collectæ, aut ab aliis conservatæ sunt; nihil fuisse quod in eorum libris desiderareretur, credendum est. Sed cum in hoc, & in ceterorum Juris interpretum voluminibus (sive illorum temporum tenebris; sive artis tradendæ ignoratione) præter verborum accuratam interpretationem, temporum quoque antiquitatem neglectam esse doleamus; his autem recentibus, quibus verborum elegantia restituta est, non satis hæc pars illustrata esse videatur: collegeram aliquando omnium legum, quæ usquam legissem, nomina, quibus diem, & consules, & verba, si qua exstarent, sin minus earum sententiam addebam; neque earum usus, si quem, aut hodie haberent, aut quoquam ex tempore habere desissent, negligebatur. Et quoniam id ipsum non neminem fuisse aggressum vidissem; & ut sit, qualicumque aliorum labore mallem frui, quam minus necessario studio in eisdem rebus versari; decipi tamquam permultos animadverti, tum in aliis legibus, tum etiam in XII. illis Tabulis, quæ jure fons atque initium nostri

* Roma.

a Ad Hieronymum Fratrem De legibus & Senatufconsultis librum mittere primo statuerat Augustinus.

stri

stri juris appellantur. Itaque cum hæc nostra, simpliciora, & pleniora quibusdam esse viderentur, dederam enim operam ut quoad * ejus possem, nihil relinquerem; & ut in his omnibus, quæ collegissem, fontes indicarem, unde emanassent, nihil Juris studiosis, & nostræ observationis cupidis negandum esse existimavi. Ad te autem, Hieronyme frater, hic qualiscumque nostrorum studiorum fructus mittitur, cui jamdiu debetur, tum quod semper te mei, item historiæ antiquitatisque amatorem fuisse cognoverim; tum quod in hac Legum, ac Senatusconsultorum collectione pauca admodum sunt, quæ te possint, quasi e nostræ disciplinæ penetralibus eruta, a legendo detertere. Ita enim a me, quæ Juris civilis sunt, conscribuntur, ut nihil pene omiserim, quamvis vulgare, & cognitum, quod apertior, & planior, viam ad ipsarum rerum cognitionem efficeret. Ita cetera tradidimus, quæ ex veteribus legibus, librisque sumuntur; ut sine librorum lectione ex his ipsis verbis, quæ referimus, nihil non recte intelligi queat. Quia in re erunt fortasse qui nos nimios esse dicant alienarum sententiarum sectatores, contra alii parcos appellabunt, quippe cum permulta repperint, quæ aut neglecta, aut incognita nobis fuerunt. Sed utrique velim animadvertant, id mihi initio consilii fuisse, ut nihil fucatum, aut fallax, sed quod apud varios variarum rerum, ut dixi, scriptores inveneram, memoriæ mandarem. Neque vero tum omnia aut potuissem, aut debuissim excerpere. Fugerunt enim, opinor, non pauca alias res agentem; multa hoc ipsum agentem deceperunt. Cur enim hoc non fatear quod & mihi, & aliis sæpe accidisse scio? Dedita vero opera quædam omisi, quæ aut ex libris nullius fidei, atque auctoritatis, colligere potui, aut plus æquo grandior hunc libellum efficerent, neque satis necessaria esse putaveram, sive quod ea satis nata fore per se crederem, sive quod his, quæ scripseram, essent consentanea. Quod si quis est, qui ordinem quemcumque nostrum minus probet, quo nos bonorum librorum lectoribus consulimus (ut cum in legis nomen inciderent, quid ea contineretur reperire facile possent) si quis, inquam est, cui hic litterarum ordo displiceat, & malit ordinem temporum sequi, quod nobis difficilius in multis legibus visum est, quominus in eum modum hæc nostra aut a nobis omissa tradantur, non repugno. Te vero carissimo frater, atque optime, accusatorum esse existimo animi mei constantiam, & firmitatem, quam non nemo duritiem & stuporem potius esse putabit: ut cum mihi talis, ac tanta negotiorum moles impendat, in his levioribus rebus tanquam in visco inhærescam. Sed tamen eadem ipsa negotia me ad has leges edendas ante tempus movent. Quas etsi non intra trinundinum diem, intra nonum tamen annum dicam, an mensem proferimus, ut liberiore deinceps animo toti in nostro onere sustinendo consistamus. Reliquimus autem & Novellarum & Juris Pontificii exornationem nescio quam inchoatam, quæ si quando mihi otioso esse licebit, absolventur. Sed jam ad ipsas leges veniamus; quas o-

mnes constat Populum Romanum tulisse ab initio urbis usque ad Tiberii Caesaris imperium. Senatus vero consulta quæ Placentini docti viri diligentiam secuti collegimus, magna ex parte post Tiberium facta sunt. Non quod non permulta alia & Populus, & Senatus decreverit: sed quod hæc ipsa sint nominibus suis notiora: quorum omnium cognitio non juris solum consultis, sed pene dixerim omnibus latinæ linguæ scriptoribus non parum utilitatis allatura esse videatur.

PAULO III. SUMMO PONTIFICI
ANTONIUS AUGUSTINUS (a).

Quærenti mihi, Paule Pontifex, & sæpe & multum cogitanti, quibus verbis possem (posteaquam huc abs te accersitus sum) tibi animi mei obsequium atque gratitudinem ostendere, nullum mihi orationis genus occurrebat, quod non, & beneficii magnitudo, & altissimus tuus, apud quem eram verba factorus, supra omnes mortales gradus dignitatis superaret. Quamobrem fatius esse duxi, aut silentio tacitis hominum cogitationibus expendendum relinquere, quid ipse sentire, aut loqui hac de re deberem, aut quod nunc facio, munusculo hoc illam grati animi atque obsequenti significationem ostendere. Nam cum animadvertissem, sæpe numero a nostri ordinis hominibus quæri solitum, neque ab illis solum, sed ab omnibus omnium disciplinarum studiosis, quidnam esset illis Legibus atque Senatusconsultis comprehensum, ut quæ explicari sine ipsarum legum scientia non possent, collegi aliquando, tum ex variis Juris civilis libris, tum etiam ex veterum monumentis [quod ab aliis inchoatum fuerat] quantum ad earum legum interpretationem facere videbatur. Et eum mihi ingenui hominis esse videretur, nihil fucatum, ac fallax, sed ipsam rerum simplicem veritatem sequi, omnes eos libros e quibus earum legum interpretatio duceretur, referendos esse existimavi. In duodecim vero Tabularum legibus [quæ multorum manus fuerant passæ] eas solum recepi, quas a veteribus scriptoribus relatas esse cognoveram. Secuti autem sumus in his, non temporum, sed litterarum ordinem, propterea quod multarum legum tempora sunt nobis incognita, & hic noster ordo per singulas leges quærenti aptissimus est. Itaque singularem hunc librum *De Legibus & Senatusconsultis* inscripsimus Justiniani imitatione, qui quartam Digestorum sive Pandectarum partem libros singulares inscripsit: item Ulpiani, Pauli, & Modestini, qui variis de rebus libros scripsisse dicuntur, in quibus Julium Paulum hac eadem appellatione usum esse constat. Ad Leges quoque & Senatusconsulta permulti Juris interpretes scripserunt, quorum libros nobis sive Justiniani consilium, sive temporum injuria abstulit: cum maxima quidem certe nostræ disciplinæ jactura. Quamquam illud in malis nos consolari solet, quod optimorum Principum atque eruditissimorum liberalitate, & prudentia, in veterem splendorem divi-

na-

* Hanc epistolam scripserat Augustinus quum Romam a Paulo III. accersitus ipsi dedicare *De Legibus & Senatusconsultis* librum cogitaverat, quem tamen post multos annos in vulgus edidit Fulvio Ursino inscriptum.

narum atque humanarum rerum scientiæ restituantur. Ita enim fiet ut tandem aliquando Jus quoque nostrum Civile, ac Pontificium, non veteres libros aut interpretes desideret, sed nostrorum fruatur prudentia. Quod si aliquando sperare licet, id aut tibi orbis imperium tenenti, aut posteaquam abs te optime constituta Christiana Rep. fuerit sempiterno ævo fruente, posteris, tale tantumque munus acceptum ferent. Erat in manibus meis cum mandata tua huc evocarunt Pontificii Juris expositio nescio quæ, item Novellarum legum Justiniani liber, quæ nos inchoata reliquimus, tum ut tuis jussis parerem, tum etiam, ut easdem ipsas cogitationes, post aliquot librorum lectionem, quos in hac solum urbe cæterarum regina esse audio, successivis aliquando temporibus exponerem. Sed cum me temporis angustiis premi viderem munusculum hoc nomine tuo consecravi, in quo cum omnes Romanas leges colleatas videris (majorum tuorum præclara monumenta) illorum temporum varietatem animadvertes, ut simul cognoscere possis quantum tuus in Rep. conservanda status præster, a divino illo Dei Opt. Max. munere emanans, quo constans illa, atque perpetua suum cuique tribuendi voluntas, quam Justitiam appellamus, suas sedes ac fundamenta collocavit (Romæ MDXLIV. aut XLV.)

JO. GENESIUS SEPULVEDA A. A. S. D.

Jure, an injuria, barbari quos *Indos* vocamus pagani, idolorumque cultores in Christianorum Hispanorum ditionem redacti sint, rediganturque, ut sublato Idolorum cultu, paratioribus animis prædicationem Evangelicam audire cogantur, dubitatum est a nostrorum doctis quibusdam hominibus, & non sine contentione in utramque partem disputatum. Quam ego controversiam dirimere cupiens quæstionem dicato libello accuratius sum persecutus, & quid senserim, testatus, recte, an secus, maxime vellem tuo tuique similibus eruditissimorum virorum, qui Romam ex omni orbe Christiano confluere solent, gravissimo judicio declarari. Causa pergravis est, nec indigna, quæ talium virorum sapientia, & auctoritate dijudicetur. Pertinet enim ad universalem Ecclesiam, & justam rationem gentes paganas ad Christi fidem inducendi. Cujus quæstionis summam, in morem scholasticum rationibus utriusque partis explicatis redactam, tibi mitto. Erit igitur humanitatis officii tui, ut primum per te causam collatis rationibus pro tua singulari eruditione diligenter consideres, deinde viros aliquot, quorum tibi gravitas & doctrina, judiciumque maxime probetur, tum Theologos, tum Juris Pontificii peritos adhibeas, præsertim ex vestro Rotæ Collegio, cujus est in toto orbe Christiano auctoritas gravissima, ut sententiis communicatis, quid hac in causa verum justumque sit, & num libellus edendus esse videatur, constitutis, ut ego vestram auctoritatem secutus libellum vel vanum, & inutilem, si vobis ita visum fuerit supprimam, vel incunctanter primo quoque tempore emittendum curem, si eisdem vobis (ut spero) ad publicum commodum, & decla-

randam in re gravissima veritatem pertinere judicabitur. Vale ex Valdolito septimo Calend. Septembris MDXLIX.

A. A. JO. GENESIO SEPULVEDÆ S. D.

Summam illius quæstionis de bello Indico, quæ a te in libro de justis belli causis pluribus verbis perdocte perque eleganter disputatur, cum optimo Antistite Philippo Archinto P. M. Vicario, & cum religiosissimo viro Ægidio Foscarario sacri Palatii Magistro, atque aliis gravissimis, & doctissimis Theologis ac Jureconsultis communicavi, sic enim mihi per literas mandaveras. Omnes singularem in omni genere literarum eruditionem, & acre ingenium tuum semper admirati sumus, atque colimus. Hæc etiam nobis quæstio digna visa est quæ in omnium hominum teatro tractaretur. Res enim maxima est, & ad plurimos homines nostræ nationis ac gentis pertinet, neque est a Republica Christiana aliena. Itaque libellum ipsum pluribus exemplis describi, edique permisimus, te fortasse non invito, qui quamvis hæc non eo animo scripseris ut in vulgus manerent, tamen comprimam ea abs te, & abscondi oportuerat, si non te digna evolutura fuisse putaveras. Tu nos ama, & Vale. Roma. Calend. Apr.

A. A. BAPTISTÆ VILLALUPIO S. D.

Librum quem *Communium opinionum* inscripseras; quod mihi & argumentum valde placebat, & opus ipsum magna diligentia abs te conscriptum, multum in judiciis auxilium tam Judicibus, quam Advocatis allaturum esse videbatur; in vulgus edendum Vincentio Luchino meo dedi. Neque enim mihi oportere videbatur diutius domi continere, quod tam multis esset adjumento futurum. Odivi autem id genus hominum vehementer, qui & suos partus suffocant, & alienos in domestico carcere includunt, & pene in sepulchro condunt; non minus quam eos, quorum opera*, & ipsis, & ceteris tam deest, quod habent, quam quod non habent, ut illos omittamus, qui aliena pro suis venditant, in quos lege Fabia agi potest. Quod si bene de genere humano merentur qui ita vivunt, ut patriæ, parentibus, & amicis, atque ceteris hominibus, quod in se est, præsidio sunt; qui hæc multorum adjumenta detrahunt: uti male de humano genere meritis ab omnibus explodi oportet. Tu igitur fruire hac gloria, mi Baptista: qui, cum receptas has sententias, in quas, celebres Jurisconsulti conveniunt, videas per te fieri omnibus communes, ut facile sit cuicumque hoc tibi libello accepto, quid de quaque re ab interpretibus Juris recipiatur, judicare: tum tibi omnes facile hoc beneficio devinxisti. Jam vero, quæ addidisti ex legibus Regiis Hispaniæ ulterioris sumpta, sunt quidem a tuis maxime muneris loco libenter accepta. Quod vero in dies majora animo concepisti, ea non solum abs te omnes expectant, sed etiam flagitant, in quibus hoc etiam est, ut hæc ipsa multo fiant, tua diligentia pleniora. Vides enim latius parere hoc argumentum; cum non potueris (quis autem id posset?) omnes omnium bibliothecarum libros

juris utriusque evolvere. Interea tamen & hæc ipsa libenter accipimus, & quæ polliceris, avidè expectamus. Me quidem certe habebis semper omnium rerum tuarum benevolum fautorem, quippe quem valde hoc libri tui munere, quo me ante aliquot annos donasti, multum amare confitear, ac præ me feram. Vale. Romæ Kal. Februarii MDLXI.

PETRUS VICTORIUS A. A. S. D.

Venit tandem in manus meas valde illud quidem optatum, & a me diu frustra expectatum, volumen M. Tullii Philippicarum, quod Faernus noster magno adhibito studio emendavit. Inveni autem illic multa auxilio antiqui illius libri (a), quem nactus est, fideliter restituta; non pauca etiam iudicio ipsius, quo plurimum valuit, conjecturaque correctâ. In quibus etiam admodum delectatus sum probitate hominis, qui contra consuetudinem multorum, si quid unquam tangit ingenio alieno excogitatum, sincere id narrat, admirabilique in hoc utitur simplicitate. Incidi ergo in locos plures, quos iudicio ipsius, cognovi cura, acumineque tuo illustratos, & ab omni prorsus macula purgatos. Tu enim quemadmodum gravioribus studiis egregiam operam navasti, ita etiam humaniores literas, industria sedulitateque tua plurimum expolisti. In quo sane merito multum tibi debent studiosi earum, qui nullum unquam laborem fugeris, ut ipsas ornares, & integrioris, formosioresque undique redderes.

In aliis autem pluribus locis, in quibus se a te adjutum ingenue fatetur Faernus, est ille in extrema fere secunda Philippica, qui prius in excusis omnibus libris maculosus erat. Cum ergo ipse vetustissimi illius sui libri, quem sequitur, lectionem indicasset, & ipsam profecto valde depravatam, opinionis tuæ statim mentionem fecit, a qua sane, se alienum non esse ostendit. Ego quoque mirifice illam probo, nisi quod voluissim te posteriore quam restituis voce contentum, priore illa, quæ adposita ipsi est, superfedisse, & hoc profecto melius veriusque esse existimasset, ut ita totus locus legeretur: *Confer cum hac nundinatione * tua, tuorumque*. Ita enim literæ numero fere pares sunt, ut ex primoribus corruptæ illius lectionis elementis fiat *nundi*: ex iis autem quæ secuntur, prima tantum litera, immutata, reliquum ejus vocis confletur. Nam si ex illis facinus *immani*, desideratur, unde possimus quasi fabricare antecedentem partem consequentis nominis: cum etiam pluribus locis M. Cicero hoc verbo utatur, ut contra P. Rullum, & in C. Verrem, nunquam quod recorder, ipsi aliquid adjungit.

Præterea magis mihi videtur significari, quod certe orator facere voluit, ac locus ille requirit, avaritia, turpitudineque Antonii, si declaratum non

fuerit, magnam pecuniam ex ratione illa confici posse. Nam summa sine dubio grandis, immensaque erat, sed ex multis minutisque venditionibus coacta. Quare arguebat animum tenuem, fordiumque. Quanto enim majorem singillatim quæstum illum fuisse audimus; tanto minor fit (nisi fallor) in animis nostris fœditas illius facti, majorque venia dignus esse videtur M. Antonius, qui cum fines recti migrare statuisset, non levi de causa improbus injustusque fuerit. Sed hæc ipsa quoque de quibus tecum nunc ago, minuta pusillaque sunt, nec tamen omnino in tanto scriptore negligenda.

Ego autem potius hanc occasionem ad te scribendi arripui, quem suspicio, atque omni honore dignum iudico, quam quod existimaverim, hanc idoneam causam fuisse conficiendæ epistolæ præfertim cum tu in multo majoribus rebus istic nunc occupatus sis; quæ utinam faustum, felicemque exitum habeant. Vale, ac me, ut semper fecisti ob eximiam humanitatem tuam, ama. Florentiæ MDLXIII. (b)

A. A. PETRO VICTORIO S. D.

Libenter legi literas tuas, quibus me de Faerni nostri in Philippicas Ciceronis emendatione atque observatione, ac de iudicio in eo studio certiore facis. Multum quidem certe amissimus, dum tam candidum ingenium, tam simplex pectus, tam multas in restituendis veterum scriptorum libris optime collocatas lucubrationes perdidimus. Sed tuum erit hanc tantam jacturam tuis elegantissimis libris sarcire. Demetrium tuum admiratus sum, quanquam eum nondum totum perlegerim. Expecto alia non minora, quando te nec in urbe, nec foris cessare unquam scio.

De Tullianis verbis, *confer cum hac nundinatione tua*, id solum dicam, me principio ita mutasse excepta dictione, *hac*, cum Faernus nondum veterem scripturam ad me detulisset. Sed cum vidissem illic, *hac in manum latione*, retinere volui antiqui libri primas syllabas, & ultimas illius, & ceterorum. Itaque scribendum esse putavi, *hac immani nundinatione*. Quod quamvis Cicero alibi non usurpet, satis est, si non ab ejus dictione alienum sit, & proximis verbis atque sententiæ sit accommodatum. Utitur Cicero (c) ni fallor, & *immani pecunia*, & *immani præda*, & *immanibus poculis* pro *magnis*. Nec quod plures literæ addantur, est quod te moveat, ut id reiicias: nam sæpe similes literæ, vel syllabæ, vel defunt, vel duplicantur: & est facilis error hic *in manum*, pro *immanium*, & hic *num latione*, pro *nundinatione*: aut si *nundatione* aliquem scripserit, num male faceret, qui *nundinatione* mutaret? Accedit quod in aliis libris est conscriptum *nummatione*, vel *numeratione*, vel *nundinatione*. Hæc in scriptura secutus sum.

De

a De quo veteri libro M. Tullii vide quæ observat idem Victorius epistolar. lib. 3. pag. 70.

b Annus hic notatus est in Ant. Augustini MS. qui fuerat omissus in editione Petri Victorii Epistolar. pag. 117.

c In eadem Philipp. 2. *immanem audaciam* §. 58. *Immanibus poculis* §. 53. Ait scilicet Tullius in eadem Philipp. §. 23. *Innumerabilem pecuniam dissipavisti*: alibi §. 81. *tanti cervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecunie*. §. 78. *Neque vestigalia solum, sed etiam imperium P. R. hujus domesticis nundinis dem-*

De sententia autem malo, cum veteri libro, quam tecum consentire: utcumque sit, a te ingeniose ratio excogitata: neque enim ideo *immanis* nundinatio dicitur quod magna inde pecunia quæreretur, sed quia multi essent in ea occupati; & magnus esset eumentium numerus, & magna esset Consuli turpitudine qui *domi (a) suæ* nundinas non quaslibet, sed frequentes celebraret. Sed tu hæc melius dijudicabis.

Est hic doctissimus quidam Antistes, cujus nomen postea scies, qui me admonuit de iis locis tuarum lectionum variarum, quæ separatim conscripta sunt. Tu poteris ea recognoscere, & admonitionem hanc boni consulere. Lælium nostrum Taurellum jube salvere & vale. X. Kal. Septembris, MDLXIII.

A. A. PIO V. PAPÆ.

Beatissime Pater, gratulor primum, ut debeo, sanctitatem vestram in locum B. Petri, ut oves Christi pascat, successisse, eique omnium ecclesiarum curam esse commissam: tum autem hæc ei divino munere contigisse, ut vix uni aut alteri nostra memoria. Quo fit, ut omnes boni hoc nuntio erecti sint & omnia tibi præclara spondeant, afflictæ nimis, & jactatæ multis procellis Reipublicæ Christianæ, nunc tandem aliquando subveniri posse. Nostra quidem certe Hispania magnam spem concepit, in Pontificatu Beatissimi Pii V. multo fore Religionis Christianæ conservatione, & tuitione splendidiorem. Nulla impedimenta timeamus Episcopi insinc emanatura, vel in delictorum correctione, vel impunitate calumniatorum, vel in ambientium cupiditate multorum beneficiorum refrenanda, vel in reliquis nostri Episcopalis muneris functionibus exercendis. Audita est & audietur, atque omnium prædicatione laudabitur Curia Romanæ non reformatio, ut dicitur, sed renovatio, quam vix aliquibus sine offensione licuit superioribus diebus expetere, ac desiderare; Concilii quoque Tridentini, tam in his, quæ ad hæreses extirpandas, quam ad mores emendandos pertinent, sine ulla variatione exequutio. Cum hæc igitur ita se habeant, non potui me continere quin S. V. per litteras gratularer, eique lætitiæ meam & omnium bonorum expectationem significarem. Deus Opt. Max. Beatitudinem vestram in Ecclesiæ Universalis gubernaculo quadiutissime conservet. Barcinone: Idibus Februarii, MDLXVI.

A. A. LATINO LATINIO S. D.

Nunquam putarem in re levi, & quæ prima fronte non videatur esse digna, ut scribis, doctorum virorum cogitatione, diutius fore dubi-

tandum: nisi me ipsum illud, quod dubitationem aspernatur, movisset, ut aliquid acutius excogitarem, ne tibi dubitationis expertem quæstionem proponenti, vulgari quoque literarum genere rescriberem, & me eadem sentire, quæ te ac ceteros crederem, affirmarem. Sed cum tu neutram partem definias, ego meam explicem oportet: quæ si eadem sit, sive aliena ab ea, quam tu carere dubitatione existimes, eam ad te mittere non dubitavi (b). Quæris, ejusne, qui die XVIII. Decembr. MDLXVI. mortuus est inscribendum sepulchro sit, XV. Kal. Jan. MDLVII. an XV. Kal. Jan. MDLVI., quod in usu, & more positum esse, affirmas. Quid moveat eos, qui aliter scribunt, quam in usu sit, existimo esse, quod illis verbis, XV. Kal. Jan. intelligimus quintum decimum diem ante Kalendas Januarias, quæ Kalendæ Januariæ futuræ sunt anno MDLXVII. At qui usum vulgarem sequuntur, cogitant, eum diem, qui est quintus decimus Kalendarum esse anni MDLXVI. licet ipsæ Kalendæ Januariæ sint anni MDLXVII. Eadem quæstio foret, si quis Kalendis natus esset diceret: *pridie Kalendas, pridie natalem meum quinquagesimum*, sed non diceret, se quinquaginta annos natum ante ipsas Kalendas. Si indictio Kal. Septembr. mutaretur, *quarto Kal. Sept. indictmentis septimæ scripsi*, significaret, illum indictmente sexta scripsisse ante indictmentem septimam? Quid in annis imperii, pontificatus, regni, si Kalendis initium sumpserunt? An dicemus, mutaturum Pontificem, aut cæteros annos post idus proximi mensis? Non igitur habenda est ratio Kalendarum, sed ejus diei, qua scriptum, vel gestum quid est. Idque recte in usu, & more est, nec facile mutandum: nisi pro tuo acumine aliud videatur. Avide expecto miniatulas ceras, ut ille ait, tuas in iis, quæ superioribus diebus conscripsimus de controversia Sigoniana. Tu valebis, & nos amabis. V. Idus Febr. Tamarito.

L. LATINIUS AD A. AUGUST.

Quæsit ex me nuper Antistes gravis, *Christique Pastor ovium, Fermentum (ita etenim scribitur) quod mittere Solebat Innocentius Olim per omnes dominicos semper dies In urbe Presbyteris suis (Quod non valeret mysticum secum sacrum Communicare eo die: Quia urbis amplæ populus iisdem creditus Erat docendus in fide) Quid esset? Anne Corporis, vel Sanguinis Cælestis agni symbolum? An panis ille (Græcus Eulogiam vocat)*

Epist. 1.
ad De-
centium
Eugubi-
num c. 5.

minutum est §. 23. Oppidorum immunitatum, vectigalium flagitiosissimæ nundinæ. *Immanes nundinae* dicere potuit hic, ut princ. §. 23. dixerat *flagitiosissime nundinae*. a *Domi suæ* ait Augustinus respiciens illud in hac Orat. §. 6. cum *Domi tue* omnia essent venalia, & §. 78. *Domesticis nundinis*.

b Quæstionem Latinus Latinus proposuerat, litteris ad Augustinum datis pridie Non. Jan. his verbis: „Nunc „abs te pro singulari tua in omnes humanitate peto, ut quod viris doctis certe, & judicio non mediocri præditis „in dubium venisse audio, tua sententia definias: quod & te facile præstare posse, certo scio. Est enim quæstio, „ut ego quidem sentio, indigna, de qua viris doctis dubitandum esse censeam; & mea tamen plurimum interest, „eruditorum virorum tui similibus, suffragiis quorundam pertinaciam rerundi; qui nisi quid ipsi primi viderint, „aut senserint, nihil videri rectum postulant: est autem hæc quæstio: ejusne, qui die 18. Decembris mortuus est „anni 1566. inscribendum sepulchro sit XV. Kal. Januarii 1567. an vero 1566. ut adhuc videmus in usu, & mo- „re positum.“

Quem

*Quem prece sacerdos expiat ?
Perplexus ego quod Præsuli scriberem,
Te consulendum censui,
Antoni, Ilerda quem colit doctissimum
Hispaniarum Episcopum,
Si mersa tenebris cum diu satis, ac nimis,
Certe valebit veritas
Videre lucem candidam denuo; tuum
Magno Latinum munere
Novoque foeneratus, ut lepidum tui
Ligabis æternum tibi.*

Roma Idib. Decembr. A. Jubilæi MDLXXV.

A. A. LATINO LATINIO S. D.

QUOD me de Innocentiano fermento superioribus diebus interpellasti, non potui ante hanc diem rescribere tum quia tabellarius aliquot menses in Gallia vinctus fuit, tum quia perdifficilis quæstio mihi visa est. Nam sive dicamus fermentum appellari consecratum panem, sive eulogiam, a consuetudine rerum, & usu verborum discedimus. Sed & Leonis Noni testimonio constat semper Latinos fermento abstinuisse in dominicæ cœnæ Mysteriis. Quamobrem azymata a Grecis dicebantur quasi Judæorum azymis delectati, quos multis verbis Humbertus Silvæ candidæ Episcopus jure reprehendit. Cum vero Innocentii verba considero, fermenti appellationem non veram esse, sed usurpatam existimo, & qua vulgus uteretur pro azymis illis sinceritatis, & veritatis; inde fortasse appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua læti omnes participes fierent sacra mensæ post longam quadraginta dierum inediam, eadem verba de fermento audirent, & pro Græco azymorum verbo, latino uterentur contrariæ significationis. In hæc sententia confirmor Damasi verbis in Meliadis Pontificis vita: *Hic, inquit, fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consensu Episcopi dirigerentur quod declaratur, fermentum.* Vides hic oblationes consecratas fermentum dici, & quod declaratur, significat quod ita appellatur. Idem invenies in vita Syricii, qui Damaso suffectus est. Verba tamen mendosa mihi videntur, quæ tu, ut soles, in aptiora mutabis. Quod igitur Innocentius ait *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, & mox fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt,* de consecrata hostia dici ostendunt alia verba, quibus & communio, & sacramentum appellatur, *Ut se a nostra communione non judicent separatos.* Item *Quia non longe portanda sunt sacramenta.* Durum autem videtur, & a consuetudine alienum, ut absentis ratio haberetur. Sed id quoque factum fuisse olim invenio apud Justinum Martyrem in apologia posteriore apud Antonium Pium. Notum autem est solum Episcopum solitum esse sacra facere; Presbyteros vero, atque etiam Episcopos, si præsentibus essent ab eodem sacramentum Eucharistiam accipere, mox ceteros; quæ de re videnda sunt Irenæi verba ab Eusebio Græce relata lib. 5. cap. 26. hist. De Romanæ Urbis Presbyteris Cardinalibus, quibus solis tituli Urbis committebantur, aperte Innocentius Tertius testatur solitos fuisse cum Romano Episcopo

Tom. VII.

po convenire, & celebrare mysteria lib. 4. cap. 26. de myst. Miss. Hæc in Oriente adhuc obtinent, & apud Græcos, qui in Italia sunt, ut semel tantum sacrificium fiat. Absentibus mitti quicquam non puto. Sic igitur interpretor Innocentii constitutionem, ut noluerit extra Urbes hæc sacra mitti ad eas Parochias, quæ in pagis certos Curiones habent. Possunt enim illi conficere sacramenta, at Urbani nequeunt, sacrificante Pontifice. Idem existimat de his, qui in cœmeteriis sunt Presbyteri. Habes opinionem meam; velim tuam audire sententiam, ac si meliora attuleris, ab his facile disceffero. Vale, & me, ut soles ama. Ilerda Idibus Junii MDLXXVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
AD LATINUM LATINUM.

Lucebant olim soles mihi candidiores,
Docte Latine tuis.
Octavique * patris dictis cum pectus onustum * Pan-
Sæpe foret variis. tagathi.
Ultima nunc fessum vastis Hispania terris
Sole cadente, tenet.
O mihi felices (frustra suspiria duco)
Præteritosque dies!
Viximus antiquas cum Urbis lustrare ruinas
Romuleæ licuit;
Et Capitulinas pacatis prendere turres
Aurea Templa Jovis.
Innumeros illic varia de gente triumphos
Legimus e tabulis:
Censores cum Consulibus, Populique Magistris,
Ordine quemque suo;
Inde forum sacramque viam, misteria Pyrrhi.
Dicere dulce fuit.
Quid memorem veteres Janos, atque Amphitheatrum,
Balnea, templa, domos?
Dulce fuit, doctus cum convivæ abdita quæque
Protulit in medium.
Laudamus multos; sed Fulvius, atque Faernus
Omnia ferre negant.
At quid ego? verbosos ætas reddit amicos,
Care Latine tuos,
Vive memor nostri; mihi Flaccus stillat in
aurem;
Pulvis, & umbra sumus.

L A T I N U S L A T I N I U S
AD ANTONIUM AUGUSTINUM.

VIX juvat Antoni sine te monumenta piorum
Vel Turriani, aut Hosii.
Montanive tui, vel Castri scripta Leonis
Armata dente, & unguibus,
Volvere; mirarique sacris e fontibus hausta
Documenta, queis Canisius.
Et veteres ritus, & mystica sacra tuctur
Adversus hæreses novas
Olim cana meos mutarunt tempora sensus,
Urbisque cineres, & virum
Concelebrata diu magnorum nomina, resque
Gestas inanis orii,
Insanisque laboris opus vere esse putavi.
Suisve busta marmorum

B b

Ad-

*Admiranda, Deus! collapsa theatra, domosque
 Mandavit; an Patricios,
 Plebiosque notis Cives discernere certis?
 O varia mens mortalium!
 Scilicet hoc tandem Regni Cælestis ad aulam
 Fessos reducet exsules.
 Videat hæc Pyrrhus, videat quoque Fulvius; at me
 Non Petrus id Ciaconius,
 Nec mihi jam dudum conjunctos inter Iberos
 Thomas Michael perdocent;
 Quorum lecta piis solers industria acrisque
 Ad Gratiani vulnera.
 Non sananda modo, sed restituenda nitore
 Fructus perennes parturit.
 Hos ego censors vitæ, morumque magistros
 Libenter Antoni, sequor;
 Dum tu sacra Dei peragis mysteria, dum te
 Superba Tarraco patrem
 Agnoscit venerans, attentisque auribus audie
 Christi docente dogmata,
 Queis sine nemo potest veram sperare salutem.
 O te beatum septies.
 Qui vanas hominum curas, sterileque labores,
 Quæ cæcus amat amor sui.
 Sprevistis docilis primo sub flore juventæ
 Christi sequens vestigia!
 Te procerum veneranda cohors post funera tan-
 dem
 Inter sacros Præfules
 Non procul a Domini sublimi sede locandum
 Expectat avida tui.
 Vale VII. Idus Februarii MDLXXVII.*

A. A. GREGORIO XIII. PAPÆ.

CUM ob Concilii (a) Provincialis negotia
 abessem, redditæ mihi sunt Sanctitatis Ve-
 stræ literæ, quibus me de libris ad Emendationem
 Gratiani necessariis interpellabat, quorum indicem
 mittebat, & præcipue de Ilerdensi Concilio, & de
 Isidori volumine perantiquo, quod Cæsaraugustæ
 esse dicebatur. Huc reversus nihil antiquius habui,
 quam ut quo possem iussa Beatitudinis Vestræ ex-
 plere omnem curam ac diligentiam meam adhi-
 berem.

Ilerda post vetus illud concilium, quod fuit
Symmachi (b) temporibus per sexcentos annos a
 Barbaris Saracenis occupata, nihil præter nomen
 antiquæ Ilerdæ retinuit; nullos veteres libros ha-
 bet, nisi quos mecum attuli, aut quos postea emen-
 dos curavi. Ceteri, quos hic vidi, aut esse audivi,
 an. CC. non excedunt antiquitatis.

Isidori Cæsaraugustæ volumen esse scio pervetus
 ætymologiarum: quod credunt Braultoni Cæsaraugustano
 Antistiti ab eodem Sanctissimo viro Isidoro
 missum. Ejus libri permulta exempla exstant,
 quibus non multum juvari potest Gratiani emenda-
 tio. Conciliorum & Epistularum Pontificiarum
 collectio ejusdem Isidori magis hanc provinciam
 adjuvaret, si plura in ea, quam in editis volumini-

a Scilicet celebrati Tarracone anno 1572. nec aliud extitisse in ea urbe memoratur.

b Corrige S. Joannis I. nam sub eo celebratum est Ilerdæ Concilium:

c Supplendus videtur annus 1573. nam hoc anno (qui erat secundus Gregorii XIII.) vocatus est Ant. Augustinus ad concilium Provinciale Tarraconense. Videantur Augustini ad Zuritam epistolæ anni 1573. infra inter Hispanicas describendæ.

bus, aut minus mendosa exstarent. Nec despero
 propediem me aliquid assequuturum. Cæterum ex
 Bibliotheca mea aliquot Pontificias epistolas mit-
 to, quæ fere omnes Isidori temporibus posteriores
 sunt, & ejus temporis, cujus non multa exstant
 monumenta literarum. Sed tamen his existimo non-
 nulla Gratiani capita, quasi membra quædam suo
 loco avulsa restitui posse.

Ex Græcis voluminibus Jus Pontificium augere
 possem, & ad fontem, unde permulta manarunt,
 revocare. Sed id, quia Gratianus facere non cogi-
 tavit, vitio temporum quibus vixit, & his tempori-
 bus, quibus omnis doctrina expolita est, vix adhuc
 Juris Pontificii Auditores, hunc sibi laborem addi,
 Græcæ linguæ addiscendæ, patientur, in aliud tem-
 pus reservavi.

Concilia tamen, & hæ ipsæ Pontificiæ omnium
 temporum epistolæ decretales (quibus fons, & ori-
 go continetur, quia non juris solum nostri, sed &
 vitæ sunt, morum, ac religionis Christianæ regu-
 læ, & constitutiones) ut utraque lingua quam
 emendatissime edantur, nunquam desinam omne
 studium, & cogitationem meam ponere. Cui rei
 magnam librorum copiam acquisivi; & quod ad-
 huc privatorum studiorum causa feci, id ut in publi-
 cam utilitatem redeat, operam dabo.

Esse tamen hanc provinciam video tanto, &
 tam erudito Pontifice dignam qui facile posset cura-
 re non solum ut hæc omnia diligentissime emenda-
 ta edantur, sed ut nova Juris Pontificii Collectio
 fiat, quæ omnibus partibus cæteras collectiones in-
 felici, ut ita dixerim, sæculo natas exsuperet. Sed
 hæc, cum commodum erit, Sanctitas Vestra cogita-
 bit, & Republicam Christianam, ut solet, omni
 bonorum genere adjuvabit.

De Gratiano, quod potero, non desinam
 operam admovere, & mandatis B. V. omnibus in
 rebus obtemperare. Cura, Beatissime Pater, ut
 valeas, ut omnes possimus oves tuæ, meliori nostri
 parte bene valere. Ilerdæ Idibus Aprilis anno
 MDLXXIII. c)

EX ANTONII AUGUSTINI EPISTOLA AD HIERONYMUM BLANCAM

De Rebus Cæsaraugustæ.

QUOD de laudibus Cæsaraugustanæ istius Ur-
 bis, & de veteribus Pontificibus ejusdem,
 si quid ex antiquis Scriptoribus, aut ex Actis
 Conciliorum, aut aliunde aliquando collegeram,
 ad te quam primum mitti desideras; pauca quæ-
 dam his literis, licet fortasse noctuas, quod a-
 junt, Athenas, & quæ tibi sunt notiora, perscri-
 psi. Atque ut omittam, quid C. Plinius de Cæsaraugustana
 immuni Colonia, olim Salduba dicta, &
 de Conventu amplissimo scripserit; Strabo quoque
 eandem laudat, habere que togatos cives ait, nihil
 ex veteri Celtiberorum contumacia, atque duri-
 tia retinentes. His addit Pomponius Mela: *Ur-
 bium de mediterraneis in Tarraconensi clarissi-
 ma*

ma

mæ fuerunt Pallantia, & Numantia, nunc est Cæsaraugusta. Vixit autem Mela Tib. Cæsaris, Caligulæ, & Tiberii Claudii temporibus, & in Hispania natus est. Quod vero ex verbis Melæ elici nonnemo putat, eisdem esse Numantiam, & Cæsaraugustam, irridendum magis, quam improbandum; cum Strabo inter eas DCCC. stadia collocet. Venio nunc ad laudes sanctissimorum Virorum: laudari enim a laudato viro, ut tu optime in hujusce Operis initio dixisti, maximum est; idque cum sit ob religionis cultum, longe præstat. Ex his primus est Cyprianus Carthagenensis Martyr. Lib. 1. Epist. 4. quam cum multis Episcopis scripsit Felici Presbytero, & plebibus consistentibus ad Legionem, & Asturicæ. In ea postquam Felicis, & Sabini Pontificatum mentionem fecisset, ait: *utque alius Felix de Cæsaraugusta, Fidei cultor, ac defensor veritatis, litteris suis significat.* Proximus huic longo, sed proximus intervallo, sit Prudentius, qui in Lib. de Coronis, Encratin, & socios XVII. Martyres, & duos Confessores, Cajum, & Clementem laudans, Cæsaraugustam appellat, plenam domum magnorum Angelorum, eamque præfert cæteris Urbibus, quod tam multis ornatur Corporibus Sanctorum. Ex eadem Vincentium fuisse Martyrem tradit, & domum insulatam Sacerdotum Valeriorum, hoc est, ejus Urbis Pontificum. Constat autem multorum testimonio, Valerium Dei Confessorem, Episcopum fuisse Cæsaraugustanum, ejusdemque Diaconum Vincentium. Sed & in Concilio Eliberitano Valerium ejusdem Urbis Episcopum subscripsisse novimus, anno Christi plus minus CCCXXV. sic duos possumus post Felicem Episcopos Valerios numerare. Ipsa vero Urbs laudatur carminibus quoque duorum Poetarum Christianorum, Pontii Paullini, qui postea Nolanus Episcopus fuit, & Aufonii Galli. His, addamus Concilium Cæsaraugustanum contra Priscillianum, ex testimonio Sulpicii Severi, Libro posteriori extremo Historiæ Sacræ, anno plus minus CCCXX. Fuerat paulo ante Concilium Sardicense contra Arianos: in quo subscriptum invenimus Castum Episcopum. Sic enim in veteribus Libris est, non Costum, ut in vulgaribus, anno CCCXLVII. ut quidam putant. Post hæc invenio cujusdam Episcopi Cæsaraugustani fieri mentionem, tacito ejus nomine, in Epistola quadam Ascanii Tarraconensis Archiepiscopi ad Hilarium Pontificem Maximum, quæ in Concilio Romano est relata, anno, ut ex Consulibus apparet, CDLXV. Sed mox in Concilio Tarraconensi Vincentius ejusdem Urbis Episcopus subscripsit anno Christi DXVI. Non hic est Vincentius Arianus Episcopus, de quo Isidorus scribit. Ille enim temporibus Mauriti Imperatoris vixit; hic Anastasii, & Justinii. In veteribus Collectionibus Conciliorum, post Tarraconense Concilium, Gerundense positum est, habitum anno vertente, in quo septem ex illis Episcopis, qui in superiori Synodo fuerant, convenerunt, in his Vincentius non est. Post Gerundense, Cæsaraugustanum collocarunt. XII. Episcoporum nomina scripta sunt, sed quibus Ecclesiis præessent, subtraherunt. Hi Canones scripserunt octo: ex quibus unus est a Gratiano relatus: *Ne quis jejuset die Dominica &c.* de Con-

secrat. Dist. 3. Hi, qui putant, hoc illud esse Concilium, quod Severus contra Priscillianum habitum dixit; sola duorum Episcoporum nominis similitudine ducuntur, & loci: namque ille refert Idacium Emeritentem, & Ithacium incertæ Urbis Episcopum, infensos Priscilliano fuisse; contra quem, & Socios Cæsaraugustana Synodus habitata est; in qua etiam Aquitanos Episcopos interfuisse ait: & in eadem damnati absentes sunt; & contumaces Instantius, & Salvianus Episcopi, Helpidius, & Priscillianus laici, qui Damasum Romanum, & Ambrosium Mediolanensem interpellarunt, & ab eis fuerunt rejecti. Qui ex Hispania Episcopi interfuerint, non narrat; tantum Adyginum scribit Cordubensem ad Idacium retulisse Emeritentem, qui in eos est inventus. In Conciliis editis bis Italii nomen scriptum est; id mutant in Idacium, & Ithacium: quod facile recipi posset, si cætera convenirent. Nihil enim est in hac Synodo, quod cum alia Synodo consonet, quæ in Aquis-Cælinis contra Priscillianistas habitata est anno Christi CDLXVII. exstatque conjuncta cum Toletano primo Concilio. Ea Synodus habitata est jussu Leonis Pontificis, ut apparet ex epistola Leonis XCIII. ad Toribium Asturicensem; in qua etiã errores eorumdem Hæreticorum damnantur. Isidorus in Libro *De Viris Illustribus*, Idacium Lemicæ Urbis Hispaniarum appellat, & Ursatium Episcopum ejus socium, fuisseque communione privatos, & in exilium missos, quod Priscillianum accusaverint coram Maximo Tyranno, & damnatus occidi fieri jussit. Sed aut in Isidori Libro, aut in Severi mendosa sunt nomina. Prosper Aquitanicus in Chronicis cum Isidoro facit, qui anno CCCXCII. eadem de Ithacio, & Ursatio Episcopis ait. In Barcinonensi Synodo non edita Joannes Cæsaraugustanus Episcopus interfuit anno plus minus DXL. Eundem putamus in Ilerdensi Concilio cum Sergio Tarraconensi convenisse; sed non recte in editis Libris Ilerdense, & Valentinum ante Gerundense edita sunt, cum fuerit posterius dicto anno DXL. In Toletano tertio maximo Concilio subscriptio exstat Simplicii Episcopi Cæsaraugustani. Id habitum anno IV. Reccaredi Regis, Ch. DXXCIX. Hætenus Gotthi hæresim Arianorum tenuerunt: nostri tamen Majores Catholicos Pontifices habuerunt, ipsaque Civitas in Catholica religione perseveravit. Hoc loco referri potest, quod S. Gregorius Turo-nensis Lib. 3. Cap. 39. Hist. Francorum, & Addo Viennensis ætate sexta in Chronicis, & Aimoinus Monachus Lib. 2. Cap. 19. & 20. Historiæ Francorum scripserunt de Urbe Cæsaraugusta a Francorum Regibus obsessa Childeberto & Clothario, anno plus minus DXXXII. quæ obsessio soluta est, data ab Episcopo Stola B. Vincentii Martyris, quæ Parisiis in Ecclesia eidem dicata posita est. Sigebertus Gemblacensis hæc anno DXLII. refert. Inter Joannem, & Simplicium, infelicem illum Vincentium Episcopum collocemus Arianum, adversus quem Severus Malacitanus Antistes edidit libellum, ut Isidorus ait in Libro *De Viris Illustribus*. Tempore Leovigildi Regis prævaricasse testatur Rodericus Toletanus Lib. 2. Cap. 14. Post Concilium Toletanum, aliud Cæsaraugustæ Concilium habitum est anno VII. ejusdem Reccaredi Regis in quo subscri-

bunt Artemius Tarraconensis, & alii XII. Episcopi, in quibus Simplicius est: nomina Urbium singularum omissa sunt: tres Canones ediderunt contra Arianos. Anno proximo Olceasis Synodus habita est, tamen in ea Simplicium interfuisse, nobis incertum est. Sed in Barcinonensi anno XIV. ejusdem Regis habita. Maximus Cæsaraugustanus Episcopus subscripsit. De Maximo Isidorus in extremo Lib. *De Viris Illustribus*, hæc refert: *Multa versu, profaque componere dicitur, quæ necdum legi.* Isidorum Hispalensem & Maximum invenio subscripsisse Toletano Concilio non edito, quod anno primo Gundemari Regis habitum est anno Christi DCX. Eundem Maximum in Egarense Concilio cum Eusebio Tarraconen. anno tertio Sisebuti Regis, hoc est, anno DCXIV. fuisse, vetus Liber ostendit, in quo non edita Concilia, quæ retulimus, Cæsaraugustanum, Olcense, Barcinonense, Toletanum & Egarense conscripta sunt. Post Maximum, Joannem, Braulionis fratrem, sedisse annis XII. B. Ildephonsus in Libro *De Viris Illustribus*, testis est, temporibus Sisebuti Regis, & Svinthilani. Patrem eum olim Monachorum appellat, & Virum in Sacris literis eruditum, hilarem, & munificum; de Ecclesiasticis Officiis quædam eleganter, & sono, & oratione scripsisse refert, & de Paschali solemnitate Joanni successisse Braulionem testatur, qui XX. annos Episcopus fuit temporibus Sisenandi, Chintilæ, Tulcani, & Childasvinti Regum. Ad hunc Isidorus Librum Etymologiarum extremo suæ vitæ tempore misit, qui in ejus vita fateretur se eum librum in viginti libros dividisse: exstantque initio ejusdem voluminis Epistolæ Isidori ad Braulionem, & Braulionis ad Isidorum. Vitam quoque B. Æmiliani Monachi idem scripsit, quod præter Ildephonsum, asserit Ossualdus in Martyrologio Prid. Id. Nov. Alia quoque scripsisse eundem, Ildephonsus ait. Ejus subscriptio exstat in quarta & quinta Synodo Toletana, quod etiam Rodericus Toletanus Lib. 2. Cap. 19. refert, eumque illustrem appellat his verbis: *Huic Synodo quinta Braulio Cæsaraugustanus Episcopus præ cæteris illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis mentibus decenter infudit: cujus & Opuscula nunc usque Ecclesia veneratur. Hujus eloquentiam Roma Urbium mater, ac domina per Epistolare alloquium est mirata.* Est etiam in Toletano Concilio sexto ejus nomen adscriptum, quod habitum est anno secundo Chintili Regis, anno Christi DCXXXVIII. At in septimo non interfuisse crediderim, tum quia in quibusdam non editis subscriptionibus ejus nomen non sit, tum quia apud Rodericum legatur, in eodem Concilio fuisse desideratum a Patribus Librum Moralium S. Gregorii. Unde Princeps, sacro Concilio, inquit, approbante, Tajonem Cæsaraugustanum Episcopum, religione, & literatura præstantem, & sollicitum Scripturarum, ad Romanum Pontificem pro Libris Moralium navigio destinavi: nota est Historia, quo pacto somnio admonitus fuerit loci, in quo hi Libri conservarentur, quo enarrato Pontifici, Tajo exstitit, inquit, Romæ gloriosus, quo antea despicibilis habebatur, & reperto, & accepto Libro, in Hispaniam est reversus, & tam Romæ, quam in Hi-

spaniis habitus est venerandus. Idem Lib. 3. Cap. 15. inter Sanctos Pontifices laudat Leandri, Isidori, Helladii &c. atque Tajonis Cæsaraugustani claram doctrinam. Mendose autem Talonis, pro Tajonis, editum est, apud Ildephonsum, post Braulionem de Eugenio posteriore, Toletano Antistite agitur: qui cum Ecclesiæ Regiæ Clericus esset egregius, vita Monachi delectatus est. Qui sagaci, inquit, fuga Urbem Cæsaraug. petens, illic Martyrum Sepulchris inhæsit, ibique studia sapientiæ, & propositum Monachi decenter incoluit. Tajo autem subscripsit in Actis Toletani VIII. Concilii, ut in omnibus libris scriptum est. Item in Actis Toletani IX. licet omissum sit in editis. Habitum autem est anno VI. Recevvinthi Regis, Christi DCXLV. cæteris Toletanis editis nullus Episcopus Cæsaraugustanus interfuit. Ex veteribus libris Toletano XIII. anno IV. Ervigii Regis, Christi DCXXXIII. subscripsit Fredevaldus Abbas, agens vicem Balderedi Cæsaraugustani Episcopi. Toletano XV. anno I. Egicani Regis, Christi DCXXCVIII. idem Balderedus interfuit. Mox anno quarto ejusdem Regis Cæsaraugustanum tertium, sive quartum Concilium habitum est: nomina Episcoporum desiderantur. Sed idem Balderedus erat Episcopus, quia idem subscripsit Toletano XVI. Concilio, quod habitum est anno VI. ejusdem Regis. Hæc habui, quæ de Episcopis, & Conciliis Cæsaraugustanis scriberem, quorum memoria exstat apud me, ante cladem illam Arabum, & Sarracenorum irruptione illatam. Tu his alia addes, maximisque ornamentis, & rerum, & verborum illustrabis. Cura, ut valeas. Tarracone, Kal. Febr. MDLXXIV.

A. A. LAURENTIO SURIO S. D.

Quamvis nos longo terrarum intervallo abesse fecerit natura, charitas tamen Christi, & ejusdem verus amor, atque studium, ut multis prodesse possimus, tenaci nos vinculo adstringit quasi ejusdem patriæ cælestis cives, in quam tendere undique nos oportet, si recte sapere velimus. Gratiissima mihi fuerunt literæ tuæ V. Idus Martias datæ, in quibus mihi animi tui desiderium exponis in edendis a Calenio tuo Græcis, & Latinis Conciliis, tam quæ apud me sunt, quam quæ, ut arbitraris, apud Toletanum Antistitem, ut ad te delaturæ fuerat; in eoque totus es, ut Latinam editionem amico huic tuo deferamus, Græcam Rovillio. Interpellavit me quidem ante aliquot annos Rovillius, ut ei aliquid, quod aptum esset, vel Juris Civilis, vel Juris Pontificii, editioni, quam parabat, mitterem. Respondi quod visum est, moxque eum majora ut cogitaret admonui, eique narraui totum hoc de edendis Græcis Latinisque Conciliis consilium. Me illi subministratum tot Librorum volumina, ut octo facile fierent, aut fortasse plura, auxiliumque pecuniarium adjeci, & spem habere, vel Ecclesiam Toletanam, vel Regem nostrum Catholicum, vel Romanum Pontificem tanto, talique auxilio futuros. Rescripsit ille, valde placere argumentum Operis; sed opus esse majori sumptu, quam quod ipse præstare posset; præsertim cum careret Græcis figurarum notis, & ministris idoneis, qui Græca sci-

rent;

rent; tamen cum amicis collaturum rem tantam, & mihi responsum.

Post aliquot tempus iterum scripsit habere, qui Concilia edere vellent, præsertim Latina; Græca quoque edituros, si haberent prædictos apud se Libros, quos tuto ad eum mittere possem Respondi, me nolle in periculum certum committere Libros ob incertum editionis; quia tamen multi forent, quis esset plus minutve paginarum Græcarum numerus, ex Latinis perspicere posset. Quid enim, inquam, opus est inspicere, Quartam, Quintam, Sextam, & Septimam Synodum Græcam, si totidem verbis Latine essent, inter quas non erit viginti paginarum differentia. His literis rescripsit, sibi valde difficilem editionem videri, in qua tot essent Græce edenda.

Iterum a Francisco Turriano qui Romæ habitat, unus ex Societate Nominis Jesu doctus, & pius Vir interpellatus sum, ut Coloniensem istam tuam editionem juvaret. Dixi me libenter, & Libros daturum, & pecuniam erogaturum, & curaturum, ut nobilis quidem, & doctus Vir Gasias Loaisa, Archidiaconus, & Canonicus Toletanus, quem multa ex veteribus Libris Toletanæ Ecclesiæ habere sciebam, quibus hæc fierent acutiora, idem faceret. De Rovillio quoque dixi me cogitare futurum editionis socium; ita enim poteram ex illius literis mihi polliceri.

CICERO lib. II. de Orat. Græci ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso, erat enim historia, nihil aliud, nisi annalium confectio, & postea. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt, talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent quibus rebus ornatur oratio, & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse breviter.

IDEM lib. I. de legibus. Nam post annales Pontificum Max. quibus nihil potest esse jocondius *, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est. Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venoniam venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium; tamen quid tam exile, quam isti omnes?

Ex Fabio Pictore. Plinius lib. X. XIII. XIV. XV.

Q. FABIVS.

DIONYS. lib. I. ὁμοίως δὲ τοῦτοις καὶ οὐδεν διαφόροις ἐξέδωκαν ἱστορίας, καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῆ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρῶτοντατοι κοιντ' φάβι', λελκί' κίγκιος, ἀμφοτέροι κατὰ τοὺς φοινίκους ἀκμάσαντες πολέμοις τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἐκάπερ οἱ μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τῶν ἐμπειρίων ἀκριβῶς ἐνέγραψε. τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τῶν ἰσιν τῆς πόλεως γενομένα, κεφαλαιωδῶς ἐπεδραμε.

FABIVS PICTOR LIB. VI. *

Aquam manibus, pedibusque dato (polubrum) XVI. sinistra manu teneto: dextera vasum cum aqua (Nonius de generibus vasorum.)

FABIVS PICTOR rerum gestarum lib. I.

Et simul videbant (Picum Martium). Nonius in Picumnus.

FABIVS.

VICTORINVS de Ortogr. Fabius ait litteras Cadmum ex Phœnice in Græciam, inde in Italiam Evandrum attulisse.

DIONYSIVS lib. I. ὁ μὲν οὐκ Ῥώμ' ἐπὶ τοῖς πολέμοις γενομέν' οὕτως, εἰδ' ὡς ὁ φάβι' παραδέδωκε, δέμνι' εἰς τῶν ἄλβαν ἀπήγετο Ῥωμύλ' δε, &c.

IDEM lib. II. τὰ Ῥωμαίων ὀνομαζομένη, καὶ αὐτῶν, ὡς μὲν φάβιός τε καὶ κίγκι' γράψασιν, ἔρως εἰτέρ' ἕτεροι τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀρεστέροις βραχίσιον ἐφόρον, καὶ τ' δακτύλων, ὡς δὲ πίτων, &c.

L I

IDEM

* Veritatem.
* Jejunius.

* Al.

XVI.

IDEM lib. III. βούλομαι δ' ἐπισηῆσας τὸν ἐξῆς λόγον ἀποδῶναι ταῖς αἰτίας δ' ἄς οὔτε φαβίῳ σωματεθῆμι, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἰσορακοῖς, ὅσοι γράφουσιν ἡοὺς εἶναι τοὺς παταλειφθέντας παῖδας ὑπὸ ταρκωίου, &c.

* δέκα. IBIDEM, δεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἀπατταν, ὡς μὲν φαβίος φησιν, εἰς μοίρας ἕξ καὶ εἴκοσι*, ἄς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλάς, καὶ τὰς ἀσικὰς προσιδεῖς αὐτῶν τεττάρων, καὶ τετράκοντα* φυλάς ἕξ ἀμφοτέρων.

* εἴκοσι. IBIDEM, ἐνταῦθα πάλιν ἀναγκάζομαι μνηστῆσαι φαβίου, καὶ τὸ ῥάθυπον αὐτῷ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν χρόνων ἐλέγχειν, ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρουνα τελευτῆς γενόμευθ', οὐ καδ' ἐν ἀμαρτάνει μόνον, ὅκαὶ πρότερον ἔφην, ὅτι γέγραφεν ἡὸν εἶναι ταρκωίου τὸν ἀρούνητα, ἀλλὰ καὶ καδ' ἕτερον, ὅτι φησὶν ἀποθανόντα ὑπὸ τῆς μητρὸς τανακυλίδου τετάφθαι, ἣν ἀμύχανον ἐπὶ κατ' ἐκείνους περιεῖναι τοὺς χρόνους, &c.

ARNOBIUS lib. VI. Fabius scribit, Jolus cujus filius fuerit, cujus gentis, & nationis.

LIVIVS lib. I. Itaque Pompinae manubiae quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere, eo magis Fabio praeterquam quod antiquior est, crediderim XL. ea sola talenta fuisse, quam Pisoni, qui XL. millia pondo argenti seposita in eam rem scribit,

Lib. IV. Fabii Annalium.

Quapropter tum primum ex plebe alter Consul factus est, duo & vicesimo anno post quam Romam Galli ceperunt.

Alio loco.

Mortuus est anno duo & vicesimo; Rex fuit anno vicesimo primo* (Gellius lib. V. cap. IV.)

* Annos XXI. vel ann. XXI. [nos ex vel C.] LIVIVS lib. XXI. Haec est nobilis ad Thraſymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Rom. clades, xv. millia Romanorum in acie caesa sunt, x. millia sparsa fuga per omnem Etruriam diversis itineribus Romam petiere. Fabium aequalem temporibus hujusce belli potissimum auctorem habui.

POLYBIUS lib. I. καὶ διὰ τὸ τοὺς ἐμπειρότατα δακωῦτας γράφειν ὑπὲρ αὐτῶ φιλίον καὶ φαβίον μὴ δεόντως ἡμῖν ἀπηγγελκέναι τὴν ἀλήθειαν, ἐόντας μὲν οὐδ' ἐφθασθαι τοὺς ἀνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω, σοχαζόμευθ' ἐκ τῆ βίης καὶ τῆς αἰρέσεως αὐτῶν, δοκῶσι δὲ μοι πεπονημένοι π παραπλήσιον τοῖς ἐρωσὶ, &c.

FABIUS MAXIMUS.

PRISCIANUS lib. VIII. Fab. Max. Amitti magis, quam apisci.

CICERO lib. I. de Divinat. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii sed proxime Caelius: cum bello Latino ludi, &c. (vide Pictor.)

DIONYSIVS lib. I. τὰ δὲ ἐκ τῶν ἰσορακῶν ἀναλεξάμενθ', ἄς οἱ παρ' αὐτῶν ἐπαινούμενοι ῥωμαῖοι σωματεθῆσαν πόρσιος τε καὶ φαβίου, καὶ φαβίου μᾶξιμου, καὶ οὐαλέριου Ἀνπας, καὶ λιβίνου μᾶκερ, &c.

POLYBIUS lib. III. φαβίου δὲ φησὶν ὁ ῥωμαῖκός συγγραφεὺς ἅμα τῷ κατὰ ζακωνθαίου ἀδικήματι, καὶ τὴν ἀσδραύβα πλεονεξίαν, καὶ φιλαρχίαν αἰτίαν γίνεσθαι τῆ κατὰ ἀννίβαν πολέμου, &c. πνθ' δὲ χάσαν ἐμνήστην φαβίου, καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου γεγραμμένων οὐχ ἕνεκα τῆς πιθανότητος τῶν ἐρημένων ἀγωνιῶν μὴ πεισευθῆ παράπιν. ἡμῖν γὰρ παρὰ τούτων ἀλογία, &c. καὶ λαβόντες ἐν νῷ δόξα κατὰ τοὺς κειροὺς ὁ γράφων γέγονε, καὶ τῆ σωματεθῆς μετέτρεξε τῶν ῥωμαίων, &c.

FABIUS MAXIMUS, SERVILIANUS
PONTIFEX lib. XI.

MACROBIUS lib. I. Sed & Fabius Max. Servilianus Pontifex in lib. XI. negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum, Jovemque praefari necesse est, quos nominati atro die non oportet.

Q. FABIUS MAX. VERRUCOSSUS.

CICERO in Catone Majore. Multa in eo viro praecleara cognovi. Sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem Marci filii tulit clari viri, & consularis. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, quem Philosophum non contemnimus?

* FABIUS PICTOR Pontificii juris lib. I.

* Ser. f.

A. GELLIUS lib. I. cap. XII. In libro primo Fabii Pictoris, quae verba Pontificem Max. dicere oportet, cum virginem capit, scriptum est, ea hujusmodi sunt; „Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae jus fiet Sacerdotem Vestalem facere, pro „populo Rom. Quiritium uti quod optima lege „fuit, ita te Amata capio“.

IDEM lib. X. cap. XV. Caerimoniae impositae flammis Diali multae, item Casus* multiplices, quos in libris, qui de Sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus, unde haec ferme sunt, quae commemorimus. Equo Dialem Flaminem vehi religio est. Classem procinctam extra pomerium, id est, exercitum armatum videre, &c. Macrobius lib. III. pag. 167. Primo Pontificii juris libro apud Pictorem verbum hoc positum est, vitulari.

* Casus, nos CXV. e.

IDEM ibid. Sicut Veranius ex primo libro Pictoris, ita dissertationem hujus verbi executus est. Exta porriciunto, diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebant.

CICERO in Bruto: Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore Oratores floruerunt. Nam & A. Albinus is, qui Graece scripsit historiam, & Ser. Fulvius, & una Ser. Fabius Pictor, & juris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus.

FABIUS PICTOR Juris Pontificii lib. III. *

* Al. lib. I.

Pilumno & (pico*) Nonius in Picumnus*.

* Al. picum.

VARRO scribit. Commentario veteri Fabii Pictoris legimus Tesfit, & sale, quo sale fordidum si ustum* est, & ollam rudem facile* objectum est, & postea id sal virgines Vestales terra ferrea secant. (Nonius in Sale).

* Al. picum.

* Al. iflum, forte idem.

* Facilem addectum.

Alias,

In Commentario veteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex sali, quod sale fordidum si pisum est, & in ollam rudem fictilem conjectum, postea Virgines Vestales terra ferrea secant. (Nos ex Festo in Muries, & VV. CC.)

C. LICINIUS MACER Historiarum

al. Annalium lib. I.

Auspicia pulcra, & luculenta commemorat, (Nonius in luculentum).

Non minimo opere milites Quirites volebant esse. (Priscianus lib. VI.)

MACROBIUS lib. I. Macer historiarum lib. I. Faustuli conjugem Accam Larentiam Romuli & Reminutricem esse confirmat. Hanc regnante Romu-

mulo Tavitio cuidam Tusco diviti denuptam, auctamque hæreditate viri, quam post Romulo, quem educasset, reliquit, & ab eo parentalia, diemque festum pietatis causa statutum.

L I B. II. *

* Al. *lib. IV.* Nequaquam * sui lavandi * reluant * arma lue. * Al. (Nonius in, lues.)

L I B. XVI.

Omniū vestrum neglexerit auctoritatem. (Priscianus lib. x. Diomedes lib. i. cap. iv.)

LIB. XXI. *Rerum Rom.*

* Al. *re-* *luat.* Deligati ad patibulos deligantur, & circumferuntur, cruci defiguntur. (Nonius in, Patibulus.)

Alias.

Ad patibulos deligantur, & circumferuntur, cruci deinde figuntur (Nos)

INCERTA.

MACROBIUS lib. i. Quando autem primum intercalatum sit, varie refertur, & Macer quidem Licinius ejus rei originem Romulo assignat. Censorinus de die Natali. Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer, & postea Fenestella statim ab initio XII. mensium scripserunt.

DIONYSIUS lib. II. ὡς δ' οἱ περὶ λικίνιον γράφουσιν, οὐ μετὰ ῥωμαίου παρὰ γενόμεναι, οὐδὲ χάριν ἱερῶν, ἀλλὰ μόνον ὡς πείτων τοὺς ἀδικηθέντας ἀφείναι τοῖς δεδρακόσι τῶν ὄργων, &c.

IDEM lib. III. παρὰ γίνεται δ' εἰς μίσην ἀγκυραίου βασιλεύοντος, ὡς μὲν γέλοιον ἴσασιν, κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς βασιλείας, ὡς δὲ λικίνιον γράφει, κατὰ τὸν ὄγδοον, &c. εἶγε δὴ κατὰ τὸν ἐννεαυτὸν ἐνιαυτὸν τῆς ἀγκυραίου διωκτικῆς ἰππέων ἡγήμενον ἐπὶ τὸν πρὸς λατίνους πολέμον ὑπὸ τῆ βασιλείας πέμπεται, ὡς ἀμφότεροι λέγουσιν οἱ συγγραφεῖς.

IDEM lib. V. τότε πρῶτον, ὡς λικίνιον ἴσασιν, τῶν ἐξελθόντων τὸν Φρίξινον τὴ βασιλείας.

IBID. λικίνιον δὲ παρὰ ἀλβανῶν οἰεῖται τὸν δικτάτωρα ῥωμαίου εἰσφέρειν, τῶν λέγων πρῶτους μετὰ τὸν ἀμουλίου καὶ Νομίτωρος Φανατον, ἐκλειπούσης τῆ βασιλικῆς συγγενείας, ἐνιαυσιαίου ἀρχοντασ ἀδοξεῖται τῶν αὐτῶν ἔχοντασ ἐξουσίαν τοῖς βασιλεύοσι, καλεῖν δὲ αὐτοὺς δικτάτωρασ.

IDEM lib. VI. λικίνιον μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ γέλοιον οὐδὲν ἐξητακότεσ οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν διωκτικῶν αὐτὸν εἰσάγουσι τὸν βασιλέα τερκινίον ἀγωνιζόμενον ἐφ' ἵππῃ καὶ πρῶτον, ἀνδρᾶ ἐννεήκοντα ἔτεσ προτάγοντα.

* For- *te, delendum.* Quo die magistratum obiit, repente ceteri gradu per forum * se in Capitolium contendit. (Nonius, in contendere.)

LIVIVS lib. IV. T. Quinctius Barbatus Interrex Consules creat L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. His Cos. cum Ardeatibus foedus renovatum est. Idque monumenti est, Consules eosillo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur. Credo quod Tribuni militum initio anni fuerunt: eo perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his Cos. prætermissa nomina Consulum horum. Licinius Macer auctor est, & in foedere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos.

IBID. Omnes ante me auctores secutus A. Cornelium Cossium Tribunum militum secunda spolia

optima Jovis Feretrii templo intulisse exposui (& postea). Qui si ea in re sit error, quod tam Veteres annales, quodque magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, septimo post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossium Consulem habeant; existimatio communis omnibus est.

IBIDEM. Eisdem Consules in sequenti anno refectos Julium tertium, Verginium iterum apud Macrum Licinium inveniō. Valerius Antias, & Q. Tubero, M. Manlium, & Q. Sulpicium Cos. in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepanti editione & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur, neuter Tribunos militum eo anno fuisse, traditum à scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet: & Tubero incertus veri est. Sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum.

IDEM lib. IX. Eodem anno C. Flavius CN. F. Scriba patre Libertino humili fortuna orrus, &c. quem aliquanto antea desisse scriptum facere arguit Macer, Licinius tribuatu ante gesto, triumphatibusque nocturno altero, altero coloniarum deducendæ.

IDEM lib. X. In eum annum cum Q. Fabium Cos. non petentem omnes dicerent centuriarum, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius, ac Tubero tradit, differendi sibi Consulatus, &c. Id ne pro certo ponetem, vetustior annalium auctor Piso effecit, &c.

DIONYSIUS lib. I. οὐκ ἀλλοίον ἀντιπᾶσ, καὶ λικίνιον Μάκερ, ἀλλοίον, καὶ Γέλοιον, καὶ Καλλίπρηνιον.

IDEM lib. VII. οὐ καὶ διονύσιον ὁ τερκινίου ὡς λικίνιον γέγραφε, καὶ Γέλοιον, καὶ ἄλλοι συγγραφῶν ῥωμαίων συγγραφῶν οὐδὲν ἐξητακότεσ τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶν, ὡς αὐτὸ τῆ ὄργων δηλοῖ, ἀλλ' εἰ καὶ τὸ προσυχὸν ἀποφαινόμενοι ἡμῶν γὰρ εἰς σκελετὴν ἀποδείχθησιν πρῶτα, &c. ἔπτα καὶ δεκά δαλδρον τῶν ἐτῶν μετὰ τῶν ἐμβολῶν τῶν βασιλεύων, ὡς οὐ τοῖ τε καὶ ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες συγγραφῶν ὁμολογεῖσιν, &c.

LICINIUS MACER *pro Phuscis.*

Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt. (Prisc. lib. x. pag. 131.)

LICINII MACRI *epistula ad Senatum.*

Illi suam vitam mecum contendunt, quorum * in corpore ita crebra sunt vulnera vitæ *, novæ jus [Nos] cicatrici ut * locus non sit. (Nonius in, contendere.) * Uii

INCERTA.

PLINIUS lib. XXXII. cap. I. Cetero moriuntur totidem diebus, quot vixerit Lepus. Incertique temporis veneficium id esse, auctor est Licinius Macer.

IDEM cap. II. Licinius Macer murænas tantum femini sexus tradit, & concipere e serpentibus, ut diximus, ob id sibilo a piscatoribus, tanquam serpentibus evocari, & capi, pinguescere lactatu, fuisse non interimi, easdem ferula protinus.

Ex Licinio Macro. Plinius lib. XIX. XXI. XXII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXII.

VALERIUS Max. lib. IX. cap. XII. Confimili imperu mortis C. Licinius Macer vir Prætorius Calvi pater repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur,

L I 2

tur,

* Quo
* Uii
(Nos)
(Nos)

tur, in manianum conscendit. Siquidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, &c. De eadem re Plutarchus in Cicerone.

LICINIUS IN PARTE (MACER, NOS).

* A. A. Pars magna lævius * cleypa portant. (Nonius in Clypeus).

levis.

SEMPRONII ASELLIONIS
Historiarum lib. i.

Verum inter eos, qui annales relinquere voluissent, & eos, qui res gestas a Romanis perscribere conati essent omnium rerum, hoc interfuit. Annales libri tantum modo quod factum, quoque anno gestum sit, id * demonstrabant. Id * eorum est, quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐπιμετρίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare. Sed etiam quo consilio, quaque ratione gesta essent, demonstrare. (Agellius lib. v. cap. xviii.)

* Es, nos, ex v. cap. * Forte, delendum. (nos)

IBID. Nam neque alacriores ad Remp. defendendam, neque segniores ad rem perperam faciendam annales libri commovere quicquam possunt.

Scribere autem, bellum quo initum Consule, & quomodo confectum sit, & quis triumphans introierit, exque eo libro, quæ in bello gesta sint, iterare: non prædicare autem interea quid Senatus decreverit, aut quæ lex rogatione lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sunt, iterare: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.

Et quod bubo in columna ædis Jovis sedens conspectus est. (Nonius in bubo).

L I B. III.

Ut fieri solet plerum, ut in victoria mitior, mansuetiorque fiat. (Priscianus).

L I B. IV.

Nam se patrem suum audisse dicere L. Æmiliū Paullum, nimis bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset. (Agellius lib. xiii. cap. iii.)

Ut major invidia Lepido glisceretur. (Nonius in gliscitur.)

L I B. V.

In libro Sempronii Asellionis Rerum gestarum quinto, ita positum esse ostendimus. Is Asellio sub P. Scipione Africano Tr. Mil. ad Numantiam fuit, resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Ejus verba de Ti. Graccho Tr. Pl. quo in tempore interfectus in Capitolio est, hæc sunt. Nam Gracchus domo cum proficiscebatur, nunquam minus terna, aut quaterna millia hominum sequebantur. (Atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit.) Orare quidem cœpit id, ut se defenderent, liberosque suos. Eum, quem virilis sexus tum (in * eo tempore) habebat, produci iussit; populoque commendavit prope flens. (Agellius lib. ii. cap. xiii.)

* Forte delenda. (nos)

L I B. XI. al. XL.

Tam pulchrum opus, tamque artificiose factum, passus est dirui. (Sospater lib. ii.)

L I B. XIII.

Facta sua spectare oportere, non dicta; si minus facundiosa essent. (Agellius lib. iv. cap. ix.)

L I B. XIV.

Crepidarium cultellum rogavit a crepidario futtore. (Agellius lib. xiii. cap. xx.)

Ne possent aut stationes facere hoc *, secus. (Sospater lib. ii.)

* Haud Ach. St.]

I N C E R T A.

SEMPRONIUS Asellio historicus ait, P. Crassum Mucianum quinque habuisse rerum bonarum maxima, & præcipua: quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod juris consultissimus, quod Pontifex Maximus: Is cum in Consulatu obtineret Asiam provinciam, & circumferre, oppugnareque Leucas oppidum pararet, opusque esset firma, ac proceras trabe, qua arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret, scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτων molis Atheniensium sociorum, amicorumque Populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter major esset, eum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέκτων comperto quamobrem malum desideraret, non uti iussus erat, majorem, sed quem esse magis idoneum, aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu existimabat, majorem misit. Crassus convocari iussit, & cum interrogasset, cur non quem iusserat, misisset, causis, rationibusque quas dicitabat spretis, vestimenta detrahi imperavit, virgisque multum cecidit, corrumpti, atque dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat. (Agellius lib. i. c. xiii.)

Succedere huic bello, Clodius, Asilo *: nihil ad Cælium.

* Asilio A. A.

Sed potius ad antiquorum langorem, atque inscitiam. (Cicero de legib. lib. i.)

L. CÆLII * ANTIPATRI Historiarum * belli Punici secundi ad L. Ælium lib. i.

I. Al. Cæ.

Quarto Cos. [Agellius lib. x. cap. i.]

III in princip. lib. i.

Dextimos in dextris scuta jubet habere. [Prisc. lib. iii.]

* Al.

Qui cum iis ita foedus icitis. (Idem libro x.)

Annalium Cæ. c. lll.

Neque ipsi eos alii modi esse, atque Hamilcar dixit, ostendere possunt aliter. (Priscianus lib. xiii.)

Antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam est missus. (Priscianus lib. xiii.)

Saguntium. [Sospater lib. i.]

Duodecies C. Mil. passuum longe. (Sospater lib. ii.)

Sempronius Lilybæo celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat. [Idem lib. ii. *]

* Al. lib.

Commodum esse * satis videtur. (Idem lib. ii.) * Est, al.

Ne aut verba traiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio, quod se Lucius Cælius Antipater in proœnio belli Punici, nisi necessario facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil cælat; sapientem, qui serviendum necessitati putet: Sed hic omnino rudis, & hic quidem, qui hanc a * Lælio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit, & utitur ea traiectione verborum, & nihilo tamen aptius explet, concludit sententias. (Cicero in Oratore.)

* L. Æ. li. A. A.

* Qui intelligunt, qui faciunt, dissentiuntur. (Priscianus lib. viii.)

* Cecilius.

Cum

Cum jure sine periculo bellum geri poteratur. [Nonius in, poteratur.]

Legati, quo missi sunt, veniunt; dedicant mandata. [Nonius in, dedicare.]

* Grata (Nos) Primum malo publico gratias* singulatim nomina. (Nonius in, singulatim.)

Armis, & magno comreatu, sed præda ingenti copiantur. [Nonius in, copiantur.]

L I B. II.

* Davi. V. cap. Nos (duer.) Si vis mihi equitatum dare*, & ipse cum cetero exercitu me sequi: die quinti Rome in Capitolio* curabo tibi cœna sit cœta* (Agellius lib. x. cap. xxiv. Macrobius lib. i.)

* Al. Capitulum. * Domus suas quoque* ire jubet, & sua omnia fruisi. (Nonius in, fruisi.)

L I B. III.

* Al. coram. Imperator conclamat, de medio, ut velites sinistro cornu removeantur, & Gallis non dubitatim imittantur. [Nonius in, dubitatim.]

* Cecil. * Quosque, ex A. gelho l. XVII. c. II. qui quemque legit, & Quadrigario tribuit. * Omnes simul terram cum classi accedunt: navibus, atque scaphis egrediuntur castra metari signa statuunt. (Nonius in, metarii.)

L I B. IV. *

* Al. Custodibus disseffis multi interficiuntur. (Priscianus lib. ix.)

L I B. V.

* Al. Cecil. Nullius alius* rei nisi amicitiae eorum causa. (Priscianus lib. vi. & vii.)

* Al. lib. VI. * Morbosum factum, ut ea, quæ oportuerint, facta non sint. [Priscianus lib. viii.]

* Al. Cecil. Ad* aliquam huic bello finem facere. (Nonius in, finem.)

L I B. VI.

* Al. Cecil. * Consulto non paucies arcessitum. [Nonius in, paucies.]

* Al. Res publica amisso ex fundato pulcherrimo oppido. (Nonius in, exfundare.)

* Al. Cecil. * Ipse cum cetera copia pedetentim sequitur. (Nonius in, pedetentim.)

L I B. VII.

* Al. Cecil. Consuetudine uxoris, indulgite liberum. (Servius in lib. ii. Georg.)

Ita, uti se se quique vobis studeat æmulari in statu fortunæ Reipublicæ eadem, re gesta toppe nihil minore negotio actio gratia minor esset. [Festus in, toppe.]

* Al. Cecil. * Duos, & septuaginta listores domum deportavisse fascis*, qui ductoribus hostium ante solverint ferri. (Nonius in, solverint.)

* Al. Cecil. (Nos) Ipse Regis eminus equo ferit pectus aduersum, conguenclar, percussus dejecit dominum. (Nonius in, conguenclare.)

I N C E R T A.

Ubi Senatus intellexit populum depeculari (Priscianus lib. vii.)

* Al. Cecil. * Tantum bellum suscitare conari adversarios contra (bellosum) genus. (Nonius in bellosum.)

Calvaria. (Caper.)

Pelia cincinnatus. (Quinctilianus lib. x.)

Parricidatum. (Quinctilianus lib. i.)

Nucerum. Dique Saguntinorum. (Sospater lib. i.)

Subinde. [Sospater lib. ii.]

Cælius Antipater ait vidisse se, qui navigasset

ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. (Plinius lib. ii. cap. xvii. Capella lib. i.)

Idem tradit Alpes in longitudinem x. m. pass. patere a supero mari ad inferum. (Plinius lib. iii. cap. xix.)

Idem ait duos elephantos Antiocho Regi in bellicis usibus celebres etiam cognominibus fuisse: novisseque ea. (Idem lib. viii. cap. v.)

Cælius ait in Averno etiam folia subsidere. (Idem lib. xxxi. cap. ii.)

Annibalem Cælius scribit, cum columnam auream, quæ esset in Fano Junonis Lacinæ, auferre vellet, dubitaretque utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebavisse, cumque solidam invenisset, statuisse eam tollere. Secundum quietem visam esse ei Junonem prædicere, ne id faceret, muniturque si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, idque ab homine, acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, & eam in summo columnæ collocavisse. Hoc idem in Sileni, quem Cælius sequitur; Græca historia est. [Cicero Divin. lib. i.]

Omnes hoc historici Fabii, Gellii: sed proxime Cælius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent: Civitas ad arma repente est excitata, itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt, qui antequam fierent, cumque jam populus confedisset; servus, qui circum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Ex in cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret præfultorem sibi non placuisse ludis: idque ab eodem jussum esse eum Senatui nuntiare: illum non esse ausum: iterum esse idem jussum, & monitum, ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Ex in filium ejus esse mortuum, eandem in somniis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lectulo in Curiam esse delatum. Cumque Senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a Senatu, ludos illos iterum instauratos memoriæ proditum est. (Cicero Divin. lib. i.)

C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Cælium est, sibi in somnis Quæsturam petenti Ti. fratrem visum esse dicere, quam vellet, cunctaretur; tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundam. Hoc antequam Tribunus Pl. Gracchus factus esset, & se audisse scribit Cælius, & dixisse multis. (Idem ibidem, & Valerius Max. lib. i. cap. vii.)

Magnum illud etiam, quod addidit Cælius, eo ipso tempore, cum hoc calamitosum fieret prælium, in quo C. Flaminius occisus est, tantos terræ motus in Liguribus, Galliæ, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes facta sit, terræque defederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque amnes mare influxerint. [Idem ibidem.]

Qua tempestate Pœnus in Italiam venit. (Cicero in Bruto.)

Cælius per Cremonis jugum dicit transisse Annibalem. [Livius lib. xxi.]

Ser.

Servati Consulis P. Scipionis decus Cælius ad servum natione Ligurem delegat. [Idem lib. XXI.]

Cælius auctor est, Magonem cum equitatu, & Hispanis pedibus flumen ex templo transnataffe: ipsum Annibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. [Idem XXI.]

Fannii ætate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, atque horridas, sine nitore, ac palæstra. Sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. (Cicero de legib. lib. I.)

L. Cælius Antipater scriptor quemadmodum videtur fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi magister. (Idem in Bruto.)

Paululum se erexit, & addidit historiæ majorem sonum vocis vir optimus Crassi familiaris Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantum modo narratores fuerunt. Est, inquit, Catulus, ut dicis, sed iste ipse Cælius, neque distinxit historiæ varietate locorum, neque verborum collocatione, & tractu orationis levi, & æquabili perpolivit illud opus. Sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad docendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. (Idem de Oratore lib. II.)

Vetustior Sisenna fuit Cælius. (Paterculus lib. II.)

* Al. Cæcilium. Cælium * prætulit Salustio Hadrianus Imperator. (Spartianus in Hadriano.)

Omnium prope annales Fabium Dictatorem adversus Annibalem rem gessisse tradunt. Cælius etiam eum primum a populo creatum Dictatorem scribit. [Livius lib. XXII.]

Hujus populatio templi ad lucum Feroniæ haud dubia inter scriptores est. Cælius Romam euntem ab Ereto divertisse eo Annibalem tradit, iterque ejus ab Reate, Cutiliisque, & ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse; præterque oppidum Sulmonem in Marucinos transisse; inde Albeni agro in Marfos: hinc Amiternum, Forulosque vicum venisse. [Idem lib. XXVI.]

Ejusdem diebus naves onorariæ Pœnor. ad LXXX. circa Sardiniam ab C. Octavio, qui provinciæ præerat, captæ. Eas Cælius frumento misso ad Annibalem, comætuque onustas, tradit. [Idem lib. XXVIII.]

Quantum militum in Africam transportatum sit a P. Scipione, non parvo numero inter auctores discrepat. Cælius, ut abstinet numero, ita ad incrementum multitudinis speciem auget, volucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortaliū, aut in Italia, aut in Sicilia relinqui videretur. (Livius lib. XXIX.)

Cælius unus, præterquam quod non mersas fluitibus naves, ceteros omnes cælestes, maritimisque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad Insulam Ægimurum, inde ægre correctum cursum exponit, & propè obrutis navibus, injussu Imperatoris scaphis haud secus, quam naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse. [Idem lib. XXIX.]

Cælius quidem, & Valerius captum Hannonem tradunt. (Idem lib. XXIX.)

Q. CLAUDII * QUADRIGARII
Annalium lib. I.

* Arma plerique abiiciunt, atque inermi inlatebrant * sese. [Agellius lib. XVII. cap. II. Nonius in, illatebrant.]

Ea dum fiunt, Latini subnixio animo, ex victoria incerti * consilium ineunt. (Agellius lib. XVII. cap. II.) Nonius in, subnixum.

Domus suas quemque ire jubet, & sua omnia frunisci *. [Agellius ibidem, & Nonius in, frunisci.]

Et Romani multis armis, & magno comætu, prædaque ingenti copiantur. (Agellius ibid. & Nonius in, copiantur.)

Sole occaso. [Agellius ibidem.]

Nos in medium relinquemus. (Agellius ibidem.)

Postquam nuntiatum est, pugnatum esse * in Gallos. (Agellius ibidem.)

Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia, pariter præcellebat: ut facile intelligeretur magnum viaticum ex se *, atque in se ad Remp. evertendam habere. [Agellius ibidem.]

Nam M. Manlius, quem Capitolium servasse a Gallis supra ostendi, cujusque operam cum M. Furio Dictatore apud Gallos (comprime *) fortem, atque exuperabilem Resp. sensit: is & genere, & vi, & virtute bellica neminem * concedebat. (Agellius ibidem.)

Nihil sibi divitias opus esse. (Agellius ibidem.)

Nam hæc maxime versatur deorum iniquitas: quod deteriores sunt incolumiores: neque optimum quempiam inter nos sinunt diurnare. [Agellius ibidem.]

Cum his confermonabatur. (Agellius ibidem.)

Sese ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse. [Agellius ibidem.]

Tanta sanctitudo fani est, ut nunquam quicumque * violare sit ausus. [Agellius ibidem.]

Cum tantus arrabo penes Samnites P. R. esset. Arrabonem dixit DC. obsides. [Agellius ibidem.]

Et compluries in laboribus miserimas vitas exegerunt. (Agellius ibidem.)

Et hic motus * in otis consumptus. [Agellius ibid.]

Cominius, qua ascenderat, descendit, atque verba Gallis dedit. (Agellius ibidem.)

Convalles, & arboreta magna erant. (Agellius ibid.)

Putabant eos, qui foris, atque qui in arce erant, inter se commutationes, & consilia facere. (Agellius ibid.)

Quod in I. Annalium Quadrigarii conscriptum est, C. Pontium Samnitum a Dictatore Romano sex horarum inducias postulasse. (Agellius libro I. cap. XXV.)

Ea Lucani ubi resciverunt, sibi per fallacias verba data esse. (Agellius lib. II. cap. XIX.)

Id ubi resciverunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstravimus: eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam provolarunt. [Agellius ibidem.]

Per-

* Al. Clodii.

* Al. Cæcil.

al. Cælius.

* Al.

atque inermes inlatebras se illatebrant.

* In v. cap. ex victoria incerti, victorie certii.

(Nos)

* Al. frunisci.

* Al.

ut pugnatum esset.

* [Nos ex, v. c.]

* Al.

(cumprime.)

* Al.

nemini.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Quis.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

* Al.

minus, ex v. cap.

Perfuadenti cuidam adulescenti Lucano, qui apprimè summo genere natus erat, sed luxuria, & nequitia pecuniam magnam consumpserat. (Agellius lib. vii. cap. xi.)

Cum interim Gallus quidam nudus præter scutum, & gladios duo torque, atque armillis decoratus processit, qui & viribus, & magnitudine, & adolescentia, simulque virtute ceteris antestabat.

Is maxime prælio commoto, atque utriusque summo studio pugnantibus manu significare cœpit, utrique ut quiescerent. Pugnae facta pausa est ex templo. Silentio facto cum voce maxima inclamat, si quis secum depugnare vellet, uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem, atque im-

manitatem (facies*). Deinde Gallus irridere cœpit, atque linguam exertare. Id subito perditum est cuidam T. Manlio summo genere nato, tantum flagitium civitati accidere: e tanto exercitu neminem prodire. Is, ut dico, processit: neque passus est virtutem Romanam a Gallo turpiter spoliari; scuto pedestri, & gladio Hispanico cinctus, contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio*, in ipso ponte, utroque exercitu inspectante facta* est. Ita, ut ante dixi, constiterunt. Gallus sua disciplina scuto projecto cautabundus; Manlius animo magis, quam arte confusus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto scutum percussit: atque de loco hominem iterum dejecit. Eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit. Dein continuo humerum dextrum eodem concussu* incidit, neque recessit usquam, donec subvertit; ne Gallus impetum icti haberet. Ubi eum evertit, caput præcidit; torque detraxit; eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. Quo ex facto ipse, posterique ejus Torquati sunt cognominati. (Agellius lib. ix. cap. xiii. xiv. Nonius in, Torquem.)

* Aliquantisper pugate*, nihil promovet Pœnus. (Nonius in, Aliquantisper.)

* Cum non possetur decerni utrius putaretur victoria esse. (Nonius in, Possetur.)

* Prius hisce auctoribus inde reticula galearia. [Nonius in, Reticulum.]
Bellatum cum Gallis eo anno. (ccclxxxv.) circa Anienem flumen auctor est Claudius, in clypeoque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum cæsum torque spoliavit tum pugnatam. (Livius lib. vi.)

L I B. II.

Comprehensare suos quisque, servare, amplexare. (Priscianus lib. viii.)

Perversum est alii modi postulare Pyrrhum in te, atque in ceteris* fuisse. (Priscianus lib. xiii.)

His de subito utrisque nuntiatum ipsorum copias adesse. (Nonius in, Desubito.)

Inde postquam aliquantum recessit, offendit montem, loca munita, resque omnes habere, quæ militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum. (Nonius in, offendere.)

Eo consules prope* exercitum reducunt. (Nonius in, Properatim.)

Et qui ibi erant*, non ignaviter putando* eum diem pro meliore habuerunt. (Nonius in, Ignaviter.)

L I B. III.

Senatus autem de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. (Macrobius lib. i.)

Ibi occiditur mille hominum. (Agellius lib. i. cap. xvi. Macrobius lib. i.)

Dum hi conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum. (Agellius lib. i. cap. vii.)

Hanc Q. Cæditii virtutem M. Cato* tali suo testimonio decoravit; Claudius autem Quadrigarius annali tertio non Cæditio nomen fuisse refert, sed Laberio. (Agellius lib. iiii. cap. vii.)

Quadrigarius lib. iiii. non Timocharem, sed Nicias adisse ad Consulem scripsit, neque legatos a Senatu missos, sed a Consulibus, & Regem, Populo Rom. laudes, atque gratias scripsisse, captivosque omnes, quos tum habuerit, restituisse, & reddidisse. Consules tunc fuerunt C. Fabricius*, atque Æmilius. Litteras, quas ad Regem Pirrhum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo.

Consules Romani salutem dicunt Pirrho regi. Nos pro tuis injuriis continuo animo strenui commoti, inimiciter tecum bellare studemus, sed communis exempli, & fidei ergo visum est, uti te salvum velimus; ut esset, quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium* a nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle; neve ob eam rem quicquam commodi expectaret. Et simul visum est, ut te certiolem faceremus, ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum, & quod nobis non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu nisi caveas, jacebis. (Agellius lib. iiii. cap. viii.)

Item gaudium, atque ægritudinem alternatim sequi. (Nonius in, Alternatim.)

Adeo memorari vix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent. (Nonius in, Potestur.)

Fabius de nocte cœpit hostibus castra simulare oppugnare; eum hostem delectare; dum collega id caperet, quod captabat. (Nonius in, delectare.)

L I B. IV.

Ut videret, ne respuerit, verminaret litteris addixalis, quod verminatione ad cancer perveniret. (Priscianus lib. vi. *)

Et ita rebus præclariter gestis. Romam revertentur*. (Nonius in, præclariter.)

Sed circiter horas duas gravi prælio urserunt: deinde in fugam sunt coniecti. (Nonius in, urgere.)

Pluvia* imbri lutus erat multus. (Nonius.)

L I B. V.

Q. Claudius annalium quinto refert, cladem illam vastissimam pugnae Cannensis factam ante diem quartum Nonas Sextiles. (Agellius lib. v. cap. xviii. Macrobius lib. i.)

Is ubi Datium* cognovit, & patriæ eum recordavit. (Nonius in, recordavit.)

Et dicerent* castra facta esse, atque hos cohortarent, uti maturarent. (Nonius in, cohortarent.)

L I B. VI.

Et qui ibi erant*, non ignaviter putando* eum diem pro meliore habuerunt. (Nonius in, Ignaviter.)

Senatus autem de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. (Macrobius lib. i.)

Ibi occiditur mille hominum. (Agellius lib. i. cap. xvi. Macrobius lib. i.)

Dum hi conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum. (Agellius lib. i. cap. vii.)

Hanc Q. Cæditii virtutem M. Cato* tali suo testimonio decoravit; Claudius autem Quadrigarius annali tertio non Cæditio nomen fuisse refert, sed Laberio. (Agellius lib. iiii. cap. vii.)

Quadrigarius lib. iiii. non Timocharem, sed Nicias adisse ad Consulem scripsit, neque legatos a Senatu missos, sed a Consulibus, & Regem, Populo Rom. laudes, atque gratias scripsisse, captivosque omnes, quos tum habuerit, restituisse, & reddidisse. Consules tunc fuerunt C. Fabricius*, atque Æmilius. Litteras, quas ad Regem Pirrhum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo.

Consules Romani salutem dicunt Pirrho regi. Nos pro tuis injuriis continuo animo strenui commoti, inimiciter tecum bellare studemus, sed communis exempli, & fidei ergo visum est, uti te salvum velimus; ut esset, quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium* a nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle; neve ob eam rem quicquam commodi expectaret. Et simul visum est, ut te certiolem faceremus, ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum, & quod nobis non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu nisi caveas, jacebis. (Agellius lib. iiii. cap. viii.)

* Al. inerat. * Al. pugnando.

* Vide Cætonem lib. IV. orig.

* (Nos ex v. c.) Q.

* Al. premium. v. cap.

* Al. lib. IV.

* (Al. lib. III.) * Al.

revertetur.

* Al. Pluvie. * Al. Datum. (A. A. De-

cius. Livius Datium lib. XXVI.

* Al. educere.

(Nos edicerent.) (A. A.)

* Ma- ximo (A. A.)

* [Fa- cii] Al.

* V. cap. eam congressio- nem.

* V. c. factam.

* V. c. concessu.

* Al. lib. VI.

* Al. pu- gnare.

* CL.

[A. A.] Cete- ros.

* (Pro- peratim) ex Nonio. A. A.

L I B. VI.

Artorius Taureæ dextrum humerum fauciat ;
atque ita refluit. (Priscianus lib. x.)

* Con-
sules fa-
bi Ti.
* Pro-
consule.
[A. A.]
Deinde facti Consules * Sempronius Gracchus
iterum , Q. Fabius Maximus filius ejus , qui priore
anno erat Consul. Ei Consuli pater Proconsul *
obviam in equo vehens , venit neque descendere
voluit , quod pater erat. Et quod inter eos sciebant
maxima concordia convenire , lictores non ausi
sunt descendere jubere. Ubi juxta venit , tum Con-
sul ait , descendere jube. Quod postea quam licitor
ille , qui apparebat , cito intellexit , Maximum
Proconsulem descendere jussit. Fabius Imperio pa-
ret , & filium collaudavit , cum Imperium , quod
populi esset , retineret. (Agellius lib. II. cap. II.)

Pene factum esse , quin castra relinquerent , at-
que cederent hosti. (Agellius lib. XVII. cap. XIII.)
* Al.
lib. VII. * Ne nos ad certationem censeas hæc incepisse.
(Nonius in , censere.)

L I B. VII.

Animos eorum habentia inflarat. (Nonius in ,
habentia.)

L I B. VIII.

Qui prior bellum , quod cum his gestum erat ,
meminissent. (Priscianus lib. VII.)

Ubi decreverunt : commemorant Graccho fœdus
prior Pompejanum non esse servatum. (Priscianus
lib. VII.)

Romam venit vix superat , quin triumphus de-
cernatur. [Agellius lib. XVII. cap. XIII.]

Hospicatur. (Diomedes lib. IV.)

In eo loco populus murmurari cœpit. (Nonius
in , murmurari.)

* Al.
Duodevi-
gesims. v.
cap.
Si pro tua bonitate , & nostra voluntate tibi va-
letudo suppetit est , quod speremus deos bonis bene
facturum. (Agellius lib. I. cap. VII.)

* Al.
Quinque,
al. Qui-
que, q. id.
quod. (A.
Stat.)
Quin quod * navigium ea forma a marina belva
dicta est pristis *. (Nonius in , pristis.)

L I B. XIII.

Concione dimissa Metellus in Capitolium venit
cum multis mortalibus. Inde cum * domum profi-
ciscitur , tota civitas eum reducit. (Agellius lib.
XIII. cap. XXVII.)

* V. c.
non ha-
bet.
* Al.
XVI.
Grundibat graviter pecus suillum. (Diome-
des lib. I. (Nonius in , grundire.)

L I B. XVI.

Equæ hinnibunde inter se spargentes terram cal-
cibus. (Nonius in , hinnibunde.)

L I B. XIX.

Q. CLAUDIUS in undevicesimo annali , cum op-
pidum a Metello Proconsule oppugnari , contra ab
oppidanis desuper e muris propugnari describeret ,
ita scripsit.

* Al.
agunt.
Sagittarius cum funditore utrimque summo stu-
dio spargunt * fortissime. Sed sagittam , atque lapi-
dem deorsum an sursum mittas , hoc interest nam
neutrum potest deorsum versum recte mitti , sed
sursum utrumque optime. Quare milites Metelli
fauciabantur multo minus , & quod maxime opus
erat , a pinnis hostes defendebant facillime fundito-
res. (Agellius lib. IX. cap. I.)

C. MARIUM creatum septimo Consulem

scripsit Q. Claudius. (Agellius lib. x. cap. I.)

IDEM faciem pro statura dicit. (Agellius lib. XIII.
cap. XXIX.)

Cum oppugnaret L. Sylla in terra Attica Piræ-
neum : & contra Archelaus regis Mithridatis præ-
fectus ex eo oppido propugnaret , &c. verba Qua-
drigarii sunt.

Cum Sylla (conatus est * , & tempore magno)
eduxit copias , ut Archelai turrim unam , quam il-
le interposuit * ligneam , incenderet : venit , acces-
sit , ligna subdidit , submovit Græcos , ignem ad-
movit , satis sunt diu conati , nonquam quiverunt
incendere. Ita Archelaus omni materiam oblivere-
rat * alumine. Quod Sylla atque milites miraban-
tur ; & postquam non succendit , reduxit copias.
(Agellius lib. XV. cap. I.)

C. MARI ecquando te nostrum , & Reipublicæ
miseribitur ? [Agellius lib. XX. cap. V.]

L I B. XXI.

Eum enim cum partim copiis hominum adole-
scentium placentem sibi. (Agellius lib. x. * c. XIII.)

Crudeliter ille , nos misericorditer : avariter ille ,
nos largiter. (Nonius in , avariter.)

L I B. XXII.

Quadrigarius hoc libro tradit , quod cum obside-
retur Drumentum , & jam ad summam desperatio-
nem ventum esset , duos servos ad hostem transfu-
gisse , & operæ pretium fecisse. Deinde urbe capta ,
passim discurrere victore , illos per nota itinera ad
domum , in qua servierant , præcurrisse : & domi-
nam suam ante se egisse , & quærentibus , quæ nam es-
set , dominam , & quidem crudelissimam ad suppli-
cium ab ipsis duci , profectos esse. Eductam deinde
extra muros , summa cura cælasse , donec hostilis
ira concideret. Deinde ut satiatus miles ad Roma-
nos mores cito rediit , illos quoque ad suos redisse ,
& dominam sibi ipsos dedisse. Manu misit utrum-
que e vestigio illa. (Seneca de beneficiis , lib. III.
cap. XXVIII.)

L I B. XXIII.

Sed idcirco me fecisse , quod utrum negligentia ,
partim magistratum , an avaritia , an calamitate
P. R. evenisse dicam , nescio. (Agellius lib. x. cap.
XIII.)

I N C E R T A.

Pugna acriter commissa multis utrimque interi-
tis. (Priscianus lib. IX.)

Exercitu instructo pedetentim , milites deduce-
re * cœpit. (Nonius in , pedetentim.)

Senatus censuit referentibus suffetis. (Festus in ,
sufes.)

Scribit Claudius ad CCCL. ex conjuratis victos
Romam missos , eamque deditionem ab Senatu
non acceptam , quod egentium , atque humilium
pœna defungi velle Fundanum populum censue-
rint. (Livius lib. VIII.)

Succedere huic bello Clodius & Asellio , nihil
ad Cælium. Sed potius ad antiquorum languorem ,
atque inscitiam. (Cicero de legib. lib. I.)

Æqualis Sifennæ Rutilius , Claudiusque Qua-
drigarius , & Valerius Antias. (Paternus lib. II.)

Ita per sexennium Lugatiam * , Polam * , at-
que agrum Campanum , quod his per militem lice-
bat , spoliabatur. (Nonius in , spoliator.)

Agrum

* Al.
V. cap.
non habet.
* Al.
imposuit.

* Al.
obleverat.

* Al.
I. XXII.

* Al.
ducere.

* Luca-
niam.
* Apu-
liam. P.
O.

Agrum Nolanum populare cœperunt.) Nonius in, populat.)

Facite exempla eorum, ut vos cum illis congermanescere sciatur. (Nonius in, congermanescere.)

* Licinius (A. A.) CLODIUS LICINIUS * Rerum Romanarum Lib. I. III.

LIVIVS lib. xxix. Hunc Pleminium Clodius Licinius * in libro tertio rerum Romanarum refert ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum Consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruerat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris, fugiendique haberet occasionē; patefacto dein scelere, delegatum in Fullianū, ex S. C.

CLAUDIUS Acilianor Annalium interpretes.

LIVIVS lib. xxv. Ita nocte, ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii. Ad triginta septem millia hostium caesa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit, captos ad mille octingentos triginta, prædam ingentem partam, in ea fuisse clypeum argenteum pondo cxxxviii. cum imagine Barchinii Asdrubalis.

IDEM lib. xxxv. Claudius secutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eumque Ephesi collocutum cum Hannibale, & sermonem etiam unum refert, quo quærensi Africano, &c.

D E C A C I L I O.

PLUTARCHUS in Romulo. Γάϊος δὲ ἀκίλιος ἰσορεῖ πρὸ τῆς κτίσεως τὰ θρέμματα τῶν περὶ τὸν ῥώμυλον αφαιῆ γενέσθαι, τὰς δὲ τῶ φαυῶν προστάξι μὲν οἰς ἐκδρομῆς γυμνοῖς ἐπὶ τῷ ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τῶ ὑδρῶτος μὴ ἐνοχλοῦντο; καὶ διὰ τῆτο γυμνοῖς περὶ τρέχειν τοῖς λαπέροῖς.

* ἀκίλιον. A. A. DIONYSIUS lib. III. Γάϊον ἀκίλιον * ποιησάμενον. A. A. τὸ μέλλοντος λέγεσθαι βεβηκότιν, ὃς φησὶν ἀμαλθησειῶν ποτε τῶν τάφρων, καὶ μηκέτι διαρροῦμενον τοὺς πηγῆς τῶ ἀνακάταρσιν αὐτῶν, καὶ τῶ ἐπιχάλῳ χιλίων μισθῶται ταλάντων.

C L A U D I U S.

LIVIVS lib. xxxviii. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad xl. millia hominum caesa auctor est.

IDEM ibidem. Quamquam tum quoque Claudius auctor est ad xv. millia Thracum præcedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidæ, &c.

LUCIUS CINCIVS ALIMENTVS.

DIONYSIUS lib. I. Λεύκιος δὲ κίγιος ἀνὴρ τῶν ἐκ τῶ βουλδαπκοῦ σιμωδέρου περὶ τὰ τέταρτον ἔτος τῆς δωδεκάτης ὀλυμπιάδος.

SOLINVS cap. II. Cincio Romam xii. Olympiade placet condiram.

DIONYSIUS lib. I. περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς ἰλίας γενομένων κόνιτος μὲν φάβιος ὁ πικτωρ λεγόμενος, ὃς λεύκιος τε κίγιος, καὶ κάτων πόρκιος, καὶ πείτων κελπούρνιος, καὶ τῶ ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, &c.

IDEM lib. II. τάσπειρα ὀνομαζομένη, καὶ αὐτῶν, ὡς μὲν φάβιος τε, καὶ κίγιος γράφουσιν, ἔως εἰσέρχεται τῶν φαλίων, &c. οἱ δὲ περὶ τὸν φάβιον τε, καὶ κίγιον οὐδὲν τοιοῦτον λέγουσι γεγονέναι, ἀλλὰ φυλάξαι τῶ κόρῳ διαβεβαιούνται τὰς περὶ τῶ προσδοσίαν, σιμωθίκας, &c.

LIVIVS lib. xxi. L. Cincius Mimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor mo-

Tom. VII.

veret me, nisi confunderet numerum Gallis, Liguribusque additis. Cum his scribit lxxx. millia pedatum, decem equitum adducta in Italiam, ex ipso autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit, xxxvi. millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum amississe in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digressa.

FULGENTIUS de verbis antiquis. Cincius Mimentus in historia de Georgio * Leontino. Qui dum jam Silicemius sui finem temporis expectaret, si morti * non potuit, tamen infirmitatibus exultat.

DIONYSIUS lib. I. καὶ ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆ πόλεως ἑλληνικῆ διαλέκτῳ σιμωγράψαν, ὧν εἰσὶ πρεσβύτατοι κόνιτος φάβιος, λεύκιος κίγιος, ἀμφοτέροι κατὰ τοὺς φοινίκους ἀκμάσαντες πολέμοις, τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἐκάτερος εἰς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεργέετο διὰ τῶ ἐμπειρίαν ἀκρεβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τῶ κίπιν τῆ πόλεως γενομένα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε.

CN. GELLIUS Annalium LIB. I.

L I B. II.

Deabus supplicat. (Sospater lib. I.)

Multitudo puerorum jam erat ex raptab. (Ibid.)

L I B. III.

AGELLIUS lib. XIII. cap. XXI. Qui leget CN. Gellii Annalem tertium, in quo scriptum est, Herfiliam, cum apud T. Tatium verba faceret, pacemque oraret, ita precatam esse. Neria Martis te obsecro, pacem date *, uti liceat nuptiis propriis, & prosperis uti, quod de tui conjugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi, & suis posteris patriæ pararent. (Sospater lib. I. Cum aliis paucab. consilium.)

DIONYSIUS lib. II. ταῦτα δὲ γενέσθαι πνὲς μὲν γράφουσι κατὰ τὸν πρῶτον ἐμιατόν, τῆς ῥωμύλου ἀρχῆς. Γνάϊος δὲ γέλλιος κατὰ τὸν τεταρτον, ὃ καὶ μάλλον εἰκός. (De raptu Sabinarum.)

L I B. IV.

L I B. V.

Puellabus. (Sospater lib. I.)

L I B. VI.

L I B. VII.

Pro duabus pudicabus. (Sospater lib. I.)

L I B. XV.

MACROBIUS lib. I. Horum causam Gellius annalium lib. xv. & Cassius Hemina historiarum lib. II. referunt, anno ab U. C. ccclxiii. a Tribunis Mil. Vergilio, Manlio, Cælio, Posthumio, collegisque eorum in Senatu tractatum, quid esset, propter quod totiens inter * paucos annos male esset afflictæ Resp. &c.

L I B. XXX. *

Calvariæque ejus ipsum ossum expurgaverunt, inauraveruntque. (Sospater l. I. Priscianus l. VII.)

L I B. XCVII.

Portabus, oleabus. (Sospater lib. I.)

I N C E R T A.

DIONYSIUS lib. II. ἡ δὲ ἐβδόμη μοῖρα τῆς ἱερᾶς νομοθεσίας τῶ συσημαπ προτετέθη τῶν κηλουμένων φεπαλίων, &c. νομᾶ τῶ βασιλέως πρῶτου καὶ τῆτο ῥωμαίοις τὸ ἱερόν ἀρχεῖον καταστησάμενον. εἰ μὲν τὸ παρὰ τῶν κηλουμένων. ἐβικλῶν τὸ παράδειγμα ἔλαβεν, ὡς ἀπερ οἶονταί πνὲς, ἢ παρὰ τῆς ἀρδεατῶν πόλεως, ὡς γράφει Γέλλιος, οὐκ ἔχω λέγειν.

M m

IDEM

* Gorgia. (A. Nat.)

* Morte. (A. A.)

* Al. dare.

* Intta (A. A.)

* Al. lib. XXXIII.

IDEM ibidem. ὡς δὲ Γέλλιος γυναικὸς ἰσορεῖ θυγατέρα μόνω, ἢ ἢς ἐγένετο ἄγκυος μάρκιος ὁ τρίτος ἀπ' ἐκείνου γενόμενος ρωμαίων βασιλεύς.

IDEM lib. III. παραχρῆνεται δ' εἰς ῥώμην ὁ λίκιος ἄγκυος μαρκίου βασιλεύοντος, ὡς μὲν Γέλλιος ἰσορεῖ κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς βασιλείας, ὡς δὲ λικίνιος γράφει κατὰ τὸν ὕψοον, &c. εἶγε δὲ κατὰ τὸν ἕννατον ἐνιαυτὸν τῆς ἄγκυος διωκτικῆς ἰππέων ἡγούμενος ἐπὶ τὸν πρὸς λατίνους πόλεμον ὑπὸ τῆ βασιλείας πέμπεται, ὡς ἀμφοτέρω λέγουσιν οἱ συγγραφῆς.

IDEM lib. VI. pag. 258. Λικίνιος μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ Γέλλιον οὐδὲν ἔζητικότες οὔτε τῶν ἐικότων, ἔτε τῶν διωκτῶν αὐτὸν εἰσάγουσι τὸν βασιλέα ταρκυνίου ἀγρονιζόμενον ἐφ' ἵππου καὶ πτωστὸν ἀνδρα ἐννεήκοντα ἔτεσι προσάγοντα.

MACROBIUS l. I. Nec me fugit Gellium scribere. Senatū decreffe, ut ædes Saturni fieret, eique rei L. Furium Tr. Mil. præfuisse.

CIGERO lib. I. de Divinit. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Cælius, cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata, &c.

MACROBIUS lib. III. Post annum xxii. legis Orchia, quæ lata est tertio anno, quam Cato Censor fuerat, Fannia lex lata est anno post R. C. secundum Gellii opinionem dxxviii. Fanniam legem post annos xvii. lex Didia consecuta est.

CENSORINUS de die Natali, Quartos ludos Pisoni Censorius, CN. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat * post annum factos tertium affirmant C. Cornelio Lentulo, L. Mummiō Achaico Cos. idest, DC. anno III.

* Vi.
vebant.
A. A.

Regerum. Lapidarium. [Sospater lib. I.]

Fora navium. (Idem lib. I.)

PLINIUS lib. VII. cap. LVI. litteras semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt.

VICTORINUS de Orthograph. lib. I. Cadmus ex Phœnice in Græciam, inde Evander in Italiam attulit litteras, ut Gellius ait.

PLINIUS lib. VII. cap. LVI. Gellio Doxius Cæli filius lutei ædificii inventor placet, exemplo sumpto ab hirundinum nidis, & postea Auri metalla, & conflaturam Cadmus Phœnix ad Pangeum montem, ut alii Thoas, & Eacelis in Panchaja, aut Sol Oceani F. cui Gellius medicinæ quoque inventionem, & mellis assignat.

IBIDEM. Mensuras, & pondera Phidon Argivus, aut Palamedes, ut maluit Gellius.

DIONYSIUS lib. I. ὄλλοι τε καὶ γέλλιοι, καὶ καλπερνιοί.

L. CALPURNIUS PISO FRUGI.

L I B. I. Annalium.

PRISCIANUS lib. X. Piso Historiarum primo.

Cujus unius præmio multorum allucit animos.

DIONYSIUS lib. I. κοῖντος μὲν φάβιος ὁ πικτωρ λεγόμενος, ὃ λίκιος τε λίκιος, καὶ κότων πρόκιος, καὶ πείτων κακπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφῶν οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇ δὲ γράφει ὡς κελύστατος ἀμουλὶς τὰ βρέφη λαβόντες, &c.

IDEM lib. II. ὡς δὲ πείτων λίκιος ὁ τιμητικός ἰσορεῖ, καλοῦ πράγματος ἐπιθυμία γυμνοῦ τῶν σκευαστῶν ὀπλῶν παράδουναί τοῖς πολίταις τῆς

πολέμιους, &c. Πίτων γὰρ ὁ τιμητικός, οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθη, ἀγγελόν φησιν ὑπὸ τῆς ταρκείας ἀποσπασθῆναι νύκτωρ ἐκ τῆς χωρῆς, &c. ἔπειτα πάλιν ὁ μὲν πίτων φησὶ τῶν σαβίνων τῶν χρυσῶν ἐτοίμων ὄντων διδόναι τῇ κόρῃ, &c. τάφουτὲ γὰρ ἐνθά ἔπεσεν ἡξιώται, τὸν ἱερώτατον τῆς πόλεως κατέχουσα λόφον, καὶ χάς αὐτῇ ρωμαῖοι καθ' ἑκάστον ἐνιαυτὸν ἀποτελεῖσι. λέγω δὲ ἅ πίτων γράφει.

AGELLIUS lib. XI. cap. XIV. Simplicissima suavitate, & rei, & orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita, atque victu scriberet.

Eundem Romulum dicunt ad coenam vocatum, ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet: Ei dicunt; Romule si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit, immo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi, quantum volui.

VARRO lib. IV. de ling. Lat. L. Calpurnius Pisoni in Annalibus scribit Sabino bello, quod fuit Romulo, & Tatius, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum cum Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam Cloacæ sint factæ, secessisse atque suos in Capitolium recepisse ab eo lacum invenisse nomen.

IDEM lib. IV. de ling. Lat. Tertia est Janualis dicta ab Jano, & ideo ibi positum Jani signum, & institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Pisoni, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit.

PLINIUS lib. II. cap. LIII. Fulmem evocatum a Porfena suo rege, & ante eum a Numa sapius hoc factitatum, in primo annalium suorum tradit L. Pisoni gravis auctor, quod imitatum parum rite Tullum Hostilium idem fulmine.

IDEM lib. XXVIII. cap. II. Difficillimumque ex his etiam fulmina elici, ut suo loco docuimus. L. Pisoni primo annalium auctor est, Tullum Hostilium Regem ex Numæ libris eodem, quo illum, sacrificio Jovem celo devocare conatum, quoniam parum rite quadam fecisset, fulmine idem.

DIONYSIUS lib. IV. τούτων δὲ τῶν ἀδιώτων τε καὶ ἀτόπων ἕκαστα ἐπιλογιζόμενος, οὐχ ἄνευ εἶναι ταρκυνίου γράφω τοὺς παῖδας, ἀλλ' ἡμῶν, λίκιος πίτων τῷ φρυγὶ συγκατατιθέμενος. ἐκείνος γὰρ ἐν ταῖς ἐνιαυσίαις παρακτικαῖς τοῦτ' ἰσορηκῆ μογος.

IDEM ibidem. ὡς δὲ πείτων λίκιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγράφει ἰσορηκῆ βουλούμενος καὶ τῶν ἐν ἄσσει διατρεβόντων τὸ πλῆθος εἶδεναι, τῶν τε γεννωμένων, καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἀνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον εἶδει νομίματος κταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, &c.

LIVIUS lib. I. Eo magis Fabio, præterquam quod antiquior est, crediderim XL. ea sola talenta fuisse, quam Pisoni, qui XL. millia pondo argenti seposita in eam rem scribit.

L I B. II.

AGELLIUS lib. XV. cap. XXIX. Verba Pisonis in secundo annalium hæc sunt L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium * nomen esset, metuere, eumque orat, uti sua voluntate Romam * contendat, quia Tarquinio, inquit, nomen esset.

Pli-

* Tarquinio. V. cap.

* Roma. Roma conce- dit.

Plinius lib. xxxiv. cap. vi. Clœliæ statuat Pifo tradit ab iis positam, qui una obsides fuerant, red- ditis a Porfena in honorem ejus.

IDEM lib. xxxii. cap. ii. Coronas ex auro dede- re civibus, quis primus donatus sit ea, non inveni; sed quis primum donaverit, a L. Pifone traditur. A. Postonius Dictator apud lacum Regillum ca- stris Latinorum expugnatis, ei, cujus maxime ope- ra capta essent, hanc coronam ex præda dedit.

PISO Frugi in ii. Annalium. Quodcumque deli- quisset, ignosciturum affirmabat. (Priscianus lib. x.)

LIVIVS lib. ii. Sicinio quodam auctore injusto Consulatum in sacrum montem secessisse trans Anienem amnem tria ab urbe millia passuum: ea frequentior fama est, quam cujus Pifo auctor est, in Aventinum secessionem factam esse.

IDEM ibidem. Tu primum tributis comitiis crea- ti Tribuni sunt, numero etiam additos tres, perin- de ac duo ante fuerint, Pifo auctor est, nominat quoque tribunos CN. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium.

L I B. III.

* C. L. PISO in tertio annali. (Agellius lib. vi. cap. ix.) „ CN. * Flavius patre Libertino natus scri- „ ptum faciebat, isque in eo tempore Ædili Curu- „ li apparebat, quo tempore Ædiles subrogantur, „ eunisque primæ tribus * Ædilem Curulem renun- „ tiaverunt. At Ædilis, qui * comitia habebat, „ negat, accipere: neque sibi placere, qui scri- „ ptum faceret, eum Ædilem fieri: CN. Flavius „ Annii * filius dicitur tabulas posuisse, scriptu „ sese abdicasse. Isque Ædilis Curulis factus est. „ Idem CN. * Flavius Annii * F. dicitur ad colle- „ gam venisse visere ægrotum, & * in conclave „ post quam introivit, adolescentes ibi complures „ nobiles sedebant. Hi contemnentes eum, affur- „ gere ei nemo voluit. CN. * Flavius Annii * fi- „ lius id arrisit: Sellam Curulem jussit sibi afferri, „ eam in limine apposuit, nequis illorum exire „ posset: utique ii omnes inviti viderent sese in sel- „ la curuli sedentem.

L I B. VII.

CENSORINUS de die Nat. Sed nostri majores na- turale sæculum ad certum annorum modulum an- norum centum statuere, testis est Pifo, in cujus annali septimo sic scriptum est. Roma condita an- no vii. sæculum accipit his Cos. qui proximi sunt Consules M. Æmilium, M. F. Lepidus, C. Popil- lius ii. absens.

I N C E R T A.

LIVIVS lib. ix. Creati Cos. L. Postumius, T. Minucius. Hos Cos. Pifo, Q. Fabio, & P. Decio suggerit, biennio exempto, quo Claudium Vo- lumniumque & Cornelium cum Marcio Cos. fa- ctos tradidimus. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos, quos falsos ratus transcenderit, incertum est.

IDEM lib. x. Macer Licinius, ac Tubero tra- dunt, id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Pifo effecit, qui eo anno Ædiles Curules fuisse tradit C. Domitium CN. F. Calvinum, & Sp. Carvilium Q. F. Maximum.

PLINIUS lib. viii. cap. vi. Victoria L. Metelli Pont. anno ii. elephantii cxlii. fuere transvecti. L.

Pifo inductos dumtaxat in circum, atque ut con- temptus eorum increfceret, ab operariis hastas præ- pilatas habentibus per circum totum actos.

IDEM lib. xv. cap. xxix. L. Pifo tradit Papirium Massonem, qui primus in monte Albano trium- phavit de Corfis, myrto coronatum ludos Circen- ses spectare solitum. Avus maternus Africani se- quentis hic fuit.

IDEM lib. xvi. cap. xxxix. Mirum apud antiquos primo Punico bello classem Duellii Imperatoris ab arbore excisa lx. die navigasse. Contra vero Hiero- nem regem ccxx. naves effectas diebus xlv. tradit L. Pifo.

IDEM lib. iii. cap. xix. Ab Aquilea ad xii. lapi- dem deletum oppidum etiam invito Senatu a M. Claudio Marcello, L. Pifo auctor est.

LIVIVS lib. xxv. pag. 123. Pifo quinque millia hominum cum Mago cedenteis nostros effuse se- queretur, cæsa ex insidiis scribit.

Apud omnes magnum nomen Martii docis est.

PLINIUS Major. lib. xxxiv. cap. vi. L. Pifo pro- didit M. Æmilio, C. Popillio ii. Cos. a Censori- bus, P. Cornelio Scipione, M. Popillio statuas circa forum eorum, qui magistratum gesserunt, sublatas omnes, præter eas, quæ populi, aut Sena- tus sententia statuta essent. Eam vero, quam apud ædem Telluris statuisset sibi SP. Cassius, qui re- gnum affectaverat, etiam conflata a Censoribus.

IDEM lib. eod. cap. iii. Triclinia ærata, abacos- que & monopodia CN. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit urbis anno lxvii. L. Pifo auctor est.

IDEM lib. xvii. cap. xv. Neenon & Romæ in Capitolio (capite * bis) bello Perfei enata palma victoriam, triumphosque portendit, hac tempesta- tibus prostrata eodem loco ficus enata est M. Mes- fallæ, C. Cassii Censorum lustro. A quo tempore pudicitiam subversam Pifo gravis auctor prodidit.

CENSORINUS de die Nat. At Pifo Censorius, & CN. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tem- pore vivebat *, post annum factos tertium affir- mant C. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Cos. id est, dc. * anno iii.

PLINIUS lib. xviii. cap. vi. C. Furius Cretinus e servitute liberatus; cum in parvo admodum agel- lo largiores multo fructus perciperet, quam ex am- plissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fru- ges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a SP. Albino Curuli die dicta metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire; instrumen- tum rusticum omne in forum attulit, & adduxit fi- liam validam, atque ut ait Pifo, bene curatam, ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligo- nes, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea di- xit, veneficia mea Quirites hæc sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrati- ones meas, vigiliæque & sudores, omnium senti- tiis absolutus.

* MACROBIUS lib. i. Pifo uxorem Vulcani Ma- jestam, non Majam dicit vocari.

IDEM lib. iii. Pifo ait vitulam victoriam nomi- nari, cujus rei hoc argumentum profert, quod post- fridie Nonas Julias re bene gesta, cum pridie po- pulus a Tuscis in fugam versus sit, unde Populif- u-

Vide supra lib. VII.

* Ara Jo- vis (nos ex v. c. & Festo.)

* Vi- vebant. A. A. * DCVIII.

Vide infra ex Commen- tariis.

gia vocantur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio.

ARNOBIUS lib. III. Piso Novensiles deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos.

LAETAN. lib. I. Instit. cap. VI. Quartam Cummam in Italia, quam Navius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat.

VARRO de re rustica lib. II. cap. I. Denique Italia a vitulis, ut scribit Piso.

CICERO lib. IX. epist. XXII. Piso ille Frugi in annalibus suis, queritur adolescenteis peni deditos esse.

EX L. PISONI. Plin. I, II, III, VIII, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XXVIII, XXIX, XXXIII, XXXIV, XXXVI.

CICERO in Bruto, L. Piso Tr. Pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino, & Manilio Cos. tulit, ipse etiam Piso, & causas egit, & multarum legum aut auctor, aut dissuasor fuit. Isque & orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, & annales sane exiliter scriptos.

IDEM lib. II. de Oration. Græci ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso: erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio. Et postea: Talis noster Cato, & Pictor, & Piso: qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio, & dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse breviter.

* veritate.

IDEM lib. I. de leg. si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium; tamen quid tam exile, quam isti omnes.

DIONYSIUS lib. I. ἀλλοίαιτε, καὶ Γέλλιοι, καὶ καλπούρριοι, καὶ ἕτεροι πρὸς τούτοις συχνοὶ ἄνδρες ἔχοντες.

L. CALPURNIUS PISO Frugi Cos. fuit cum P. Mucio Scævula anno U.C. DCXX. ex Fiftis, Censor

* 633. [Quasi.]

C. * CALPURNIUS PISO, *Commentarior.*

A. A.

L I B. I.

PLINIUS Major lib. XIII. cap. XIII. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ, eosque combusto, a Q. Petillo Pr. quia philosophiæ scripta essent. Hoc idem tradit C. * Piso Censorius primo *Commentariorum*. Sed libros septem juris Pontificii, totidemque Pythagoricos fuisse.

* L. A. A.

Adde quæ supra ex Macrobio, & Arnobio.

M. P I S O.

„ M. PISO a trimetro cœpit. Pro dii immortales, qui hic illuxit dies? “ (Diomedes lib. II. c. IX.)

L. P I S O *Poeta.*

L. PISO postea urbis custos, ad quem Horatius artem scripsit, Poeta fuit. (Porphyrjo in Horatii artem poet.)

Ejus filius major L. PISO tragedias scripsit. (Acron in Horatii artem poet.)

Al. *Historiarum.*

L. CASSII HEMINÆ *Annalium* *

L I B. I.

AGELLIUS lib. XVII. cap. XXI. Homerum, & Hesiodum ante Romam conditam vixisse Silviis Albæ regnantibus annis post bellum Trojanum (ut Cassius in primo annalium de Homero, atque Hesiodo scriptum reliquit) plus centum, atque sexaginta annis ante Romam conditam, ut Corn. Nepos in

1. Chronicorum de Homero dixit annis circiter CLX.

PRUDENS perplexim scottino * scribit. (Nonius in, perplexim.) * Scotinos. (Nos)

Et eum, quo * irent, nesciebant, ilico manserunt. (Nonius in, ilico.) * Al. quia, al. tamen.

L I B. II.

„ Pastorum vulgus sine contentione consentiendo præfecerat æqualiter imperio Remum, & Romulum ita, ut de regno pares inter se essent. „ Monstrum fit: sus parit porcos xxx. cui rei fecerunt Laribus grundiles. “ (Diomedes lib. I.)

PLINIUS lib. XVIII. cap. II. Numa instituit deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem divinam, nisi tostum.

IDEM lib. XXXII. cap. II. Pisces marinos in usu fuisse protinus condita Roma, auctor est Cassius Hemina, cujus verba de ea re hic subiiciam: „ Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni polluerent, patrimonia commentus, ut convivia publica, & privata, cœnæque ad pulvinaria facilius compararentur, ni qui ad pollutum emerent, pretio minus parcerent, eaque præmercerentur.“

MACROBIUS lib. I. sed Cassius Ser. Tullium fecisse nudinas dicit, ut in urbem ex agris convenirent, urbanas, rusticasque res ordinaturi.

PRISCIANUS lib. IX. L. Cassius Hemina II. annal. idque amiratum esse gavisum.

MACROBIUS lib. I. Tuditanus refert lib. trium * magistratum Decemviro, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse, Cassius eosdem scribit auctores. * Tertio A. A.

IDEM ibidem. Horum causam Gellius annalium lib. XV. & Cassius Hemina historiarum lib. II. referunt, anno ab urbe condita CCCLXIII. a Tribunis militum Vergilio, Manlio, Cælio, Postumio, collegisque eorum in Senatu tractatum, quid esset, propter quod totiens inter * paucos annos male esset afflicta Resp. & ex præcepto patrum L. Aquinium Aruspice in Senatum venire iustum religionum requirendarum gratia, dixisse Q. Sulpicium Tr. Mil. ad Alliam adversus Gallos pugnatum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quinctilis, item apud Cremeram, multique aliis temporibus, & locis, post sacrificium die postero celebratum, male cessisse conflictum. Tunc patres iussisse, ut ad collegium Pontificum de his religionibus referretur Pontificesque statuisse, postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos; ut hi dies neque præliares, neque puri, neque comitiales essent.

Tunc M. * Præco primum proletarios armavit. (Nonius in, proletarii.) * Intra A. A.

Quæ nata sunt, ea omnia denasci ajunt. (Nonius in, denasci.) * Marcius. (ex v. cap.) * Al.

Et in area * in Capitolio signa, quæ erant demoliuntur decensoribus. [Nonius in, moliri.] * Etiam aurea. Sed non placet. Videndus Agellius I. II. c. I. * Al.

Censuit sese regem Porseam occidere. [Nonius in, censere.] * Al. lib. VI.

L I B. III.

* In campo Tiburti, ubi ordeum demessuerunt. (Priscianus lib. X.)

Hos

Hos libros si quis nostratis sapiens. (Priscianus lib. XII.)

* Al. lib. VI. * Nemo vicinus confedo. (Nonius in, confedo.)

PLINIUS lib. XXIX. cap. I. Cassius Hemina ex antiquis auctor est primum e medicis venisse Romam Peloponelo Archagathum Lyfaniæ F. L. Æmilio, M. Livio Cos. anno urbis DXXXV. eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. Vulnerarium eum tradunt fuisse vocatum, &c.

Mulier cantabat tibiis Frygiis, & altera cymbaliffabat. [Nonius in, cymbaliffare.]

* Al. lib. IIII. N. M. 276. 10. * Homo mere litterosus. (Nonius in, litterosus.)

Quicumque propter plevitatem agro publico ejus sunt. [Nonius in, plevitatem, Ubi manuscriptus liber habet. Nonius in Ann. ut fortasse legendum sit, Novius III. Ann.]

LIB. IV. BELLUM PUNICUM POSTERIOR.

PRISCIANUS lib. VII. Cassius Hemina annalem quartum hoc titulo inscripsit. Bellum Punicum posterior.

Scriba Pontificius, qui cum eabus stuprum fecerat. (Priscianus lib. VII.)

PLINIUS lib. XIII. cap. XIII. Cassius Hemina vetustiss. auctor annalium, quarto eorum libro prodidit, CN. Terentium scribam agrum suum in javiculo repastinantem offendisse aream, in qua Numma, qui Romæ regnavit situs fuisset, in eadem libros ejus repertos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bæbio, Q. F. Pamphilo * Cos. ad quos a regno Numæ colliguntur anni DXXXV. & hos fuisse e charta, majore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt annis. Quapropter in re tanta ipsius Heminae verba ponam: „ MIRABANTUR alii,

„ quomodo illi libri durare potuissent, ille ita rationem reddebat, Lapidem fuisse quadratum circumciter in media area vinctum candelis quoque versus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse: propterea arbitrarier eos non computruisse, & libros cedratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ eosque combustos a Q. Petillio PR. quia philosophiæ scripta essent “.

In Hispania pugnatum bis; utraque nostri loco moti. (Nonius in, utraque.)

* Æque (Nos) Qua sine omnis res, atque * artes humanitus aguntur. Ex Tiberi lacte haurire. [Nonius in, lacte.]

INCERTA.

MACROBIUS lib. III. Cassius Hemina dicit Samothracas deos, eosdemque Romanorum Penates proprie dici *θεοὶ μεγάλοι*.

CENSORINUS de die Nat. De quartorum ludorum anno triplex opinio est, Antias enim, & Varro, & Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manlio Cos. post R. C. anno DCV. At Piso Censorius, & CN. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat *, post annum factos tertium affirmant C. Cornelio Lentulo, L. Mummiæ Achaico Cos. id est DC. anno

* vi. vebant. A. A. * 608. III *.

A. A. Ex Cassio Hemina. Plinius lib. XII. XIII. XVIII. XXIX. XXXII.

His persuadet *, ut illico manerent, pars illico manet. (Nonius in, illico.) * Al. persuade-tur.

L. CORNELII SISENÆ Historiarum

LIB. I.

Nos una æstate in Græcia, & Asia gesta, litteris idcirco continentia mandavimus, ne vellicatim, aut saltuatim scribendo, lectorum animos impediremus. (Agellius lib. XII. cap. XV. & Nonius in, saltuatim.)

Nocte consumpta postero die per incertas vias Æterniam, inde Romam protinus profugerant. (Nonius in, protinus.)

LIB. II.

* Si quæ celeriter solvi poterat, in altum remulco retrahit. (Nonius in, remulcare.) * Al. lib. I.

Et Marsi propius succedunt, atque ita scutis projectis. [Macrobius in Saturn. lib. VI.]

Vetus, atque ingens erat arbor. [Macrobius ibid.]

LIB. III.

Multi plagis adversis icti, & conculcati Romanis præcipitatis ipsi supra voluti in caput. (Nonius in, conculcare.)

(Agilem) dari facilemque victoriam: neque solfas, aut bellum * remoraturum. (Nonius in, agilem.) * Val-lum. A. A.

Idem temporibus Æternini duplici fossa, valloque circumdati frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum est. (Nonius in, adesum.)

Ad binum millium numero faucis utrimque factis. [Nonius in, binum millium numero.]

Quod fortasse an ex voluntate sua, summa cum claritudine celeriter confecisset. (Nonius in, claritudo.)

Dispalati ab ignis digressi omnes, ac dissipati. (Nonius in, dispalare.)

Dissipatis imbricum fragminibus, ac testis tegularum. (Nonius in, imbrices.)

Bassus assiduitate, indulgitate victus. (Nonius in, indulgitate.)

Servulum ejus præmio libertatis inductum *, magno cum tumultu conventum in populum produxit armatum *. (Nonius in, populum.) * Al. indicium A. A. in-dictio.

Post principia paulatim recedunt, atque inde * cum paucis fugæ se mandant. (Nonius in, mandare.) * Al. armatus. * Al. deinde.

Post villarum macerias, ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit. (Nonius in, maceria.)

Partem cohortium propter mare collocat in littore. (Nonius in, propter.)

Requiescendi spatium nacti, condensiores manipulatim resistere hostibus instituerunt. [Nonius in, manipulatim.]

Quod loca palustria, quæ erant, & alte, multifariam confossa. (Nonius in, multifariam.)

Occulte, tacitque advenientium cohortium præstolari accipiunt *. [Nonius in, præstolari.] * Coci-pium. A. A.

Et inde equum concitatum princeps ad hostium permittit aciem. (Nonius in, permittere.)

* Cum complures menses barba immissa, & intonso capillo, lugubri vestitu populum vicatim flens, una cum liberis, circumiret. (Nonius in, mittere, & in, vicatim.) * Al. lib. IV.

Imperitum concitat vulgum. (Nonius in, vulgus.)

Pro-

* Al. Propterea * catapultas XIX. * quattuor balistas, Praterea. xxiv. * palustra coriis * ac minoribus sagittis onusta. * Al. (Nonius in, catapultas.)

XVI. * Al. Ac post armatos funditores, & sagittarios ponit. XX. (Nonius in, funditores.)

* Al. Longius scorpis catapultas concitat. [Nonius scorpiis. A. in, scorpio.) A. scorpiis. Sparis, ac lanceis eminus peterent hosteis. (Nonius in, Sparus.)

* Al. * Balistas quattuor talentarias. (Nonius in, ballistæ.)

* Al. Conuictus * tamen (& tempora *) singula constituit, & sicut steterant, manipulos obverti iussit. Ex (Nonius in, manipuli.)

tempore. Gallia materibus, Suevi lanceis configunt. (Nonius in, lancea.)

AL. L. CALPURNIUS PISO ex Senati consulto duas novas tribus. (Nonius in, Senatus.)

* A. A. Postquam in * sonu signorum prælium magno delet in. cum clamore virorum commissum est. (Nonius in, sonus.)

Nolitote mirari, quam desperata voluntate ad unam belli faciendi viam. (Nonius in, nolitote.)

Manualeis lapides dispartit, propterea quod is ager omnis ejusmodi telis indigebat. (Nonius in, tela.)

* Al. * Subito mare subhorrere *, cæcosque fluctus in se provolvere leniter occæpit. [Nonius in, cæcum.]

* Al. Tum subito tacuit, atque metu, & suspitione subhorrescere. propriam non poterat capere quietem. [Nonius in, proprium.]

* Proletor, vel projectos Romanos impetu suo protelant, prolectus * persequuntur. [Nonius in, protelare.]

A. A. pro- Mulierem missa fide, ac pietate propter amoris telatos. nefarii libidinem, extitisse. (Nonius in, mittere.)

(Nos) * Adoriuntur adversos * ut apertis lateribus. (Nonius in, apertum.)

* Al. Signum nactus a Papo, quod inter eos tolli con- averfos. venerat. (Nonius in, convenire.)

Egregias, & longe præstanteis, ac metuendas adversariorum opes esse. (Nonius in, longe.)

Periclitantur tormenta, ac tela, multa que genera machinamentorum. (Nonius in, periculum.)

Alii saltui, ac velocitati certare. (Nonius in, Dativus, pro ablativo.)

Omnia, quæ diximus loca statim potitus. (Nonius in, Nominativus, pro ablativo.)

Sublatus lætitia nimia, atque impotentia animi commotus. (Nonius in, impotentiam.)

Quibus occisis actuarias ad viginti naveis, item complures onerarias incendunt. (Nonius in, actuarias, & in, onerarias.)

Oracilium legatum cum scaphis, ac lembis. (Nonius in, lembus.)

* Al. * Senatus auctoritate saga nunc. (Nonius in, sagum.)

lib. IV. De quibus partim malleolos, partim fascis farmentorum incensos supra vallum frequentes. (Nonius in, malleoli.)

Custodiæ in muros statuuntur cataphractarum. (Nonius in, cataphracti.)

* Ac De virtute eorum accusanda * proloqui superse- usu (Nos) derunt. (Nonius in, supersedere.)

Inermes armati, impeditos expediti, sine ullo

suorum vulnere cunctos interficiunt. [Nonius in, expediti.]

L I B. III.

Populabundus agros ad oppidum pervenit. (Agellius lib. xi. cap. xv. & Nonius in, populat.)

Armis, equis, com meatibus, nos magis juverunt exleges: & minus honore dignos putabitis? (Nonius in, exleges.)

C. Titinius quidam, cui minus proprietas metus * ab natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit, deinde apud Consulem causam, atque excusationem præferre cœpit. (Nonius in, testudines.)

Agmen perturbatum peditis insinuant, ac loco commovent. (Nonius in, insinuari.)

Dum pristinum vinum * apud ignem per sudorem corpore * exhauserunt. (Nonius in, apud.)

Itaque postero deligato, Signinum * redeuntis apiscitur. [Nonius in, apisci.]

Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. (Nonius in, amoliri.)

Judicium false factum. (Sospiter lib. ii.)

Ipsi legati concubia nocte oppido digressi jam supra hostium munitionem succedunt. (Nonius in, concubia nocte.)

Cistæque quæ erant legum ferendarum gratia parta *, defecerant *. (Nonius in, cistæ.)

Puppis aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. (Nonius in, centones, & in, cilicia.)

Nam clandestina celeriter transigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari. . . . crebritudinem. (Nonius in, crebritudinem.)

Formidine oppressus, quod humilem cæmentis instructum oppidi murum sciebat. (Nonius in, cæmenta.)

Quod hostem non dubitatum cum pluteis, ac scalis iter facere cernebat. (Nonius in, dubitatum.)

Armati dextra ducti: magisque, in latitudinem discedunt. (Nonius in, discedere.)

Milites, ut lex Calpurnia concefferat, virtutis ergo civitate * donari *.

Ego illos malos, & audaces semper enixim contra fortunas, atque honores hujus ordinis omnia fecisse, ac dixisse sentio. (Nonius in, enixim.)

Denique exinanitas * castris, Romani, qui clauso se loco potuerant expedire. (Nonius in, exinanita.)

Neque porta, neque ullum foramen erat, qua posset eruptio fieri. (Nonius in, foramen.)

Neque atatis granditatem, neque ea merita, nec ordinis honestatem, aut dignitatem sibi esse excusationi. (Nonius in, granditatem.)

Ultro, citroque integunt in oppido cædem. (Nonius in, integrare.)

* Tamen Tudertibus Senati * consulto, & populi jussu dat civitatem. (Nonius in, jussu.)

Utrum ne viri * cultu erga se mortalium lætificent, an supernæ gentes humana neglegant? (Nonius in, lætificare.)

Galli contra magno cum molimento, ac perpetuo sono procedunt. (Nonius in, molimentum.)

Quoniam neque mea nex, neque intercessio posse

* Me-
nis. v. c.
al. men-
tis.

* Al.
vitium.
* corpo-
ra (Nos)
* Al.

Siguvii,
sed v. c.
habet Igu-
vium &

fortasse le-
gendum:
postero die
legatos
Iguvium.

* Par-
te A. A.
ex v. c.
* Al. de-
jecerant,
(Nos)

* Civi-
ca. v. c.
* Dona-
ti. A. A.

* A. A.
exinaniti
(Nos).

* Al.
lib. III.
* Al.
Senatus.
* Divi.
(Nos.)

se videtur illorum dementem reprimere audaciam. [Nonius in, nex.]

Jumenta, pecuda locis trepidare compluribus. (Nonius in, pecuda.)

* *Præ-*
veniretur
& (Nos.) Idemque perseveraverunt, uti lex, perveniret *
ad Quæstorem: ac iudices, quos vellent, institue-
rent præfestinatim, & cupide. (Nonius in, præfesti-
natim.)

Multi præmissis armis ex summo se permitte-
rent. (Nonius in, permittere.)

* *Igni-*
nos (Nos.) Tum postquam apud Alginos *, ac Perusinos
ejus facti mentionem proicit. (Nonius in, proi-
cere.)

Impedimenta collocant omnia, construunt car-
ros, & sarraca crebra disponunt. (Nonius in, carra.)

* *Jacu-*
lis (A.A.) Accolis * celeriter consumptis, ad gladios certa-
tionem revocaverunt. (Nonius in, certatio.)

Et prope mediam ad finem ripæ pervenerant.
(Nonius in, finis.)

Quod oppidum tumulo in excelso loco propter
mare parvis mœnibus inter duas fluvias intra Vesu-
vium collocatum. (Nonius in, fluvius.)

Transgressus fluviam, quæ secundum Hercula-
neum ad mare pertinebat. (Nonius in, fluvius.)

Tum in muro virile, ac muliebre sexus populi
multitudine omni collocata *. (Nonius in, sexus.)

* *Col-*
lecta. Materata * gravia bellica manipulorum. (No-
nius in, manipuli.)

* *Al.*
Maturata. Alii materibus, aut lanceis tamen medium per-
turbant agmen. [Nonius in, lancea.]

* *Al.*
Mac-
cerata. Falces injectas comminuunt, puteos * propius
collatis * harpagiis deiiciunt e turribus. (Nonius
in, falces.)

* *Col-*
locatos
(Nos) Navisque triginta biremis, totidem myoparon-
nas. (Nonius in, myoparones.)

* *Al.*
Præres. Proræ * actuariæ, tragi * grandes, ac fæselo pri-
mo. (Nonius in, fæselus.)

* *Al.*
trabi. Quondam Sabini feruntur vovisse, si res com-
munis melioribus locis constitisset, se ver sacrum
facturos. (Nonius in, ver sacrum.)

* *Prætor.*
[A. A.] Præter * festinatim de castellis ad castra maxima
pedites conduxit *. (Nonius in, festinatim.)

* *Al.*
conducit. Perfuse *, atque abunde sparsi * usi magnum
pondus auri, & argenti.

* *Al.*
Profuse
(A. A.) Quo voto damnati fetum omnem dicuntur ejus
anni statim consecrasse. (Nonius in, damnare.)

* *Al.*
semper. Sed hoc fragmentum conjungendum cum superiore:
Quondam Sabini feruntur novisse, &c.

* *Al.*
Quod. Qui * tamen quibus litibus * scedera majorum
suum dissoluta. (Nonius de numeris, & casibus.)

* *Al.*
lectis fe-
ribus. Plerique inermis * in castra perfugiunt. (Nonius
in, inermis.)

* *Al.*
inermi.
* *Nu-*
teriam.
(A. A.) Protinus agros populabundus ad Numeriam *
convertit. (Nonius in, populat, & Agellius lib.
xi. cap. xv.)

Oriri de contrario silentium. (Nonius in, silen-
tium.)

Innoxios trementibus artubus repente extrahit,
atque in labro summo fluminis caelo albente. (No-
nius in, labra.)

Denique cum variis voluntatibus incerta civitas
trepidare. (Nonius in, civitas.)

Terrore perturbatam multitudinem subigunt.
(Nonius in, subigere.)

Victoribus proprie * spem, victis adversæ for-
tunæ majorem formidinem objecit. (Nonius in,
propriam.)

Duæ cohortes de subsidio procedunt, atque equi-
tes protelant. (Nonius in, protelare.)

Castra de pania * convertit in montes, ut cre-
bro ferculis protinus procedendo posset intra fines
Æsculapiorum * pervenire. (Nonius in, protinus.)

Pompedius * opinione frustrata. (Nonius in,
opinio.)

Id me neque metu, neque calamitatis necessitu-
dine inductum facere. (Nonius in, necessitudo.)

Cohors una post concitata, qua murus erat in-
terruptus, evadit. (Nonius in, evadere.)

Funis expediunt, claustra foribus imposita peri-
clitantur. (Nonius in, expedire.)

Ab armis te recedere, præsidia de locis deducere.
(Nonius in, deducere.)

Conglobati, & collecti concrepant armis. (No-
nius in, crepare.)

Eos, qui hoc malum publicum clandestinis con-
siliis comparaverunt. (Nonius in, comparare.)

Lucilium * Memmium focerum C. Scribonii
Tribunum plebis, quem M * III. Cof. scisse
callebant, & tunc Curionis oratorem *. (Nonius
in, callet.)

Simul & tormenta contenduntur. (Nonius in,
contendere.)

Submoti, & intra mœnia rursus coacti. (No-
nius in, cogere.)

Multitudinem procul hostium constare viderunt.
(Nonius in, constare.)

Quid in remp. suam maxime conducere videre-
tur *. [Nonius in, conducere.]

Et partim fera vite, partim lauro, & arbus-
to, ac multa pinu, ac myrtetis abundant. (Nonius in,
fera vite.)

L I F. V.

* Quam maxime * celeratim * poterat, in infi-
diis suos disponit. (Nonius in, celeratim.)

L I B. VI.

* Romanos in ferendæ pernicii causa venisse.
(Agellius lib. ix. c. xiv. & Nonius in, pernicii.)

MARIUS ostio Liris evehitur, atque Ænariam
suos continuare *. (Nonius in, continuare.)

L I B. VIII.

* Cælum caligine stat. (Nonius in, stat.)

L I B. XII.

Procul sibilus significare Consuli coepit. (Priscia-
nus lib. vi.)

L I B. XXII.

* Multi populi plurimæ conciones Dictaturam
omnibus animis, & studiis refragaverunt. (Nonius
in, refragabunt.)

INCERTA Historicorum.

Vitam cum dolore, & insigni cruciatu carnifica-
tus amisit. (Priscianus lib. viii.)

Sic meam paludem multi piscium salientorum
causa a navibus semihonustis commeant. (Priscia-
nus lib. x.)

Cursum, properatim. (Agellius lib. xii. c. xv.)

Tanto plures passim dispalantur. [Nonius in,
dispalare.]

Urbe condita juxtim Nomicum flumen obrun-
ca-

* *Pro-*
priam
(A. A.)

* *Proprie*
[Nos.]

* *Plan-*
is, vel

* *Planitia.*

* *Ajcu-*
lanorum.

* *Pom-*
pejus (A.)

* *Sed*
Vellejus,
& *Ap-*
pianus,
Popedius.

* *L.*
[A. A.]

* *Al.*
Marcelli-
ni. *Al.*

* *M. Livii*
consilia-
rium suis-
se.

* *Al.*
bortato-
rem. *v.*

* *c. Mar-*
cilii Se-
ptem, *ex*

* *quo* [Nos.]

* *M. Acilii.*

* *sapientem*
consilia-
rium suis-
se calle-
bant.

* *Al.*
judicetur.

* *Al.*
Lib. VI.

* *Al.*
Quo ma-
gis.

* *Agel-*
lius lib.

* *XII. cap.*

* *XV. legit*
celatim.

* *Al.*
Lib. V.

* *Al.*
conti-
nuatur.

* *Al.*
conti-
nuare
juber.

* *Al.*
Lib. IX.

* *Al. lib.*
XXIII.

* *Al. lib.*
XXVII.

catur. (Nonius in, juxtim) ubi male legitur, ab urbe condita, &c.

Hofis loca superiora potiti. (Nonius in, potitus loca.)

Simul & Senati consultis clarissimis amplificati. (Nonius in, Senatus.)

Ut in Sisennæ scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est; ut cum Sylla in agro Nolano. (Cicero Divinat. lib. i.)

Cæciliæ fornio modo Marfico bello templum est a Senatu Junoni sospite restitutum, Quod quidem fornium Sisenna cum disputasset. (Cic. Divinat. lib. i.)

Exponitque initio belli Marfici. (Cicero Divinat. lib. i. & ii.)

Sisenna memorat prælio, quo ad Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompejanus miles fratrem suum, deo cognito facinore, se ipsum interfecit. [Tacitus lib. xix.]

L. Sisenna, qui res Romanas scripsit. (Pædianus in Corn.)

Sisenna Attii amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, facile superavit. (Cicero de legib. lib. i.)

L. Sisenna doctus vir, & studiis optimis deditus, bene Latine loquens, &c. ut ex historia ipsius perspici potest. (Cicero in Bruto.)

Neque enim alio loco de Syllæ rebus dicturi sumus: Et L. Sisenna optime, & diligentissime omnium, qui eas res dixere, persecutus historiam, parum mihi libero ore locutus videtur. (Salustius in bello Jugurthæ.)

Historiarum auctor, jam tum Sisenna erat juvenis, sed opus belli civilis, Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetusior Sisenna fuit Cælius: æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias. [Paternus lib. ii.]

L. CORNELII SISENNÆ. *Milesiarum.*

L I B. I. *ex Aristide.*

L I B. XIII.

Nisi cominus excidisset, quanti dantur. (Sospater lib. ii.)

Proin dato aliquid. (Sospater ibid.)

Confestim secuta est. [Sospater ibid.]

Eamus ad ipsum, atque ipse comode de parte superiore descendebat. (Sospater ibid.)

Te istuc hesternoque hæsisse oportuerat Aristæ. (Sospater ibid.)

Quid nunc os tuum scalpis? quid tergiverfaris? nec bene naviter is pro recta via? (Sospater ibid.)

Nocte vagari. (Sospater ibid.)

Obviam venit. (Sospater ibid.)

Ut eum penitus utero suo recepit. (Sospater ibid.)

I N C E R T A M I L E S I A R U M,
vel D E M I L E S I I S.

Junxit Aristides Milesia crimina secum:

Pulsus Aristides nec tamen urbe sua est. (Ovid. de Tristibus lib. ii.)

Vertit Aristidem Sisenna nec obfuit illi

Historiæ turpes inseruisse jocos. (Ovid. ibid.)

I N C E R T A S I S E N N Æ.

Sisenna dixit assentio. (Quintilianus lib. i. c. x.)

Mediterræam, pro mediterranea. (Festus in Mediterranea.)

Aræ propitiæ. (Servius in lib. i. Æneid.)

Solum Antenorem prodidisse Ilium. (Servius in lib. i. Æneid.)

A Latino agrum concessum Trojanis. (Servius in lib. xi. Æneid.)

Patres familias dici. [Sospater lib. i.]

Ex Commentariis Sisennæ in Comœdias Plauti. (Rufinus de comicis versibus, & Sospater lib. ii.)

L. Sisenna, qui res Romanas scripsit bonorum CN. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni dedit. (Pædianus in Corn.)

Adde Ciceronem lib. ii. & iv. act. ii. in Verrem, & in Bruto bis. Plutarchum in Lucullo.



FULVII URSINI NOTÆ

Ad Librum Primum de Bello Gallico.



Elvetii reliquos Gallos virtute præcedunt] Hoc non de omnibus Gallis in universum videtur intelligendum, cum Belgas horum omnium fortissimos dixerit, sed de Celtis tantum accipiendum, qui a Cæsare peculiari vocabulo Galli, & ea quam incolunt regionis partem, Gallia item vocatur. Atque in hoc potissimum obscurus est Cæsar, quod Galliam modo pro tertia parte Galliæ Comatæ, modo pro tota Gallia ponit. Strabo autem lib. iv. ex Cæsaris commentariis aliter universam dividit Galliam: cum ait: οἱ μὲν δὴ τετραχῆ διήρου τὴν ὑπὲρ τῶν ἄλπεων κελπιῶ, ἀνιτανούς καὶ βέλγας καλοῦντες καὶ κέλτας. Item: Ἀνιτανούς μὲν τοίνυν ἔλεγον τοῖς τὰ βόρεια τῆ πυρηνῆς μέρη κατέχοντες καὶ τῷ Κεμμένου μέχρι τὸν ὠκεανόν, τὰ ἐντὸς γαροῦκα. Κέλτας δὲ τοῖς ἐπὶ θάλασσαν μέρη κατέχοντες: καὶ τὴν κατὰ Μυσοχλίαν καὶ Νάρβωνα θάλατταν, ἀπτομένους δὲ καὶ τῶν ἄλπεων ὄρων ἐνίκον. βέλγας δὲ ἕτερον τοῖς λοιπῶς τε τῶν παρωκεανιῶν μέχρι τῶν ἐκβολῶν τῷ ῥήγι, καὶ τῶνας τῶν παρωκεανιῶν τὸν ῥήγον καὶ τοῖς ἄλπεσι. Ἔτο δὲ καὶ ὁ Θεὸς Κάϊσαρ ἐν τοῖς ὑπομήμασιν διήρηκεν. & Sallustius lib. i. histor. sic ait: Res Romana plurimum imperio valuit, Ser. Sulpicio, & M. Marcello Cos. omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare nostrum, atque Oceanum, nisi quæ paludibus in via fuit, perdomita, &c. Ut videri possit aliter a Cæsare Galliæ descriptionem editam fuisse, ac nunc in vulgatis libris habetur.

Cum aut suis finibus eos prohibent] Videtur pro particula, cum, legendum, dum; sic enim habetur lib. v. Dum circa Vento filio subvenit, interficitur: & Hirtius lib. v. de bello Africo dixit: Jamque Cæsar dum exercitum reducere intra munitiones cœpisset: & eodem lib. paulo post: Qui dum anima nondum expirata concidisset.

Eorum una pars] De una parte totius Comatæ Galliæ intelligendum, ad quam refertur vox eorum pro qua, rectius fuisset, ejus; nam, eorum, ad Helvetios referri potest, de quibus paulo ante locutus est. Videtur tamen eodem modo hic, eorum, positum esse, quo supra dictum est: Horum omnium fortissimi Belgæ.

Contineturque Garumna flumine] Totus hic locus ita legitur in libro antiquissimo: continetur Garumna flumine: Oceanum in finibus Belgarum attingit: etiam a Sequanis, & Helvetiis flumen Rhenum: vergit ad Septentrionem, &c. Atque ita etiam est in Vaticano, nisi quod particula, in, abest ab eo libro.

Aquitania a Garumna flumine ad Pyreneos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam

Tom. VII.

pertinet, spectat inter occasum Solis, & Septentriones] In V. C. post vocem, quæ, relicum est tantum spatii, quantum satis est ad reponendum verbum, vergit, quod videtur desiderari: ut sit; quæ vergit ad Hispania, &c. ita enim de Belgis supra locutus est. In eodem V. C. pro inter occasum, scriptum est ad occasum; licet Mela lib. iii. cap. vi. habeat: Inter Septentrionem occidentemque projecta; & item Plinius lib. iv. cap. xvi. Nec est dissimulandum paulo supra, vocem, Solem, desiderari in VV. CC. & Orientem tantum scriptum esse.

Quod undique loci natura Helvetii continentur] Ita in probatissimis libris legitur sine verbo, tuti. V. autem alius C. habet continentur pro quo, contineantur, repoluerunt quidam ex conjectura. Ptolemæus ἐλθηττίας edit, ut Latine editiones. Strabo autem ἐλβυηττίας, & Plutarchus ἐλθηττίας uterque male.

Lacu Lemano] Lemanno est in VV. CC. non solum Cæsaris, sedem etiam Plinii, geminata littera, n, & ita habet Strabo lib. iv. τὴν λίμνην τῷ λιμέναν. Alibi tamen corruptissime, ἠπελαμένη λίμνη. nec item satis emendate Ptolemæus; κατὰ τὴν λίμνην καλαμίνωλιμέναν.

Quod pater ante habuerat] V. C. habet, antea; & item liber Faerni.

Die constituta causæ dictionis] Ita locutus est lib. iii. de B. C. cum dixit: Certa que ejus rei die constituta; & lib. vii. de B. G. Tempore ejus rei constituto. Sed lib. iii. de B. C. dixit Certumque ei rei tempus constituitur. Ut Plautus in Pseud. cum ait: Ei rei dies præstituta est.

Ex vinculis causam dicere] Livius lib. xxix. Pleminius legatum, vincum Romam deportari placere, & ex vinculis causam dicere, &c. Ex eo autem quod dicit Cæsar, Helvetios Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegisse, intelligi potest, eum totius Galliæ regnum affertasse; quod ex Orofio apertius patet, qui ait lib. vi. Helvetiorum animos Orgetorigis quidam princeps gentis spe totas invadens Gallias, in arma accenderat, quo ceteri optimates correpto &c. Itaque videndum an apud Cæsarem legi debeat: Et regno, per tres potentissimos, ac fortissimos populos, totius Galliæ sese potiri posse sperat.

Reliqua privata ædificia] V. C. habet: Et reliqua privata ædificia; & paulo post: Domo afferre, non, efferre. Item, Rauricis, ut Plinius & Ptolemæus. &: Juram; licet Strabo lib. iv. habet ἰόρην vel, ut paulo supra ἰσράπιον. Ptolemæus autem ἰσριοςόν.

Una cum his proficiscerentur] Eis pro his, habent duo vetustissimi libri.

Qui nuper P. R. pacati erant] Verba, P. R. ab.

N n

ab.

abesse a veteribus libris, alii etiam admonuerunt. Sed pro pacati, in VV. CC. constanti consensu scriptum esse, pacti, id tacuerunt. Ac mirum est, quam omnes fere scripti libri in eo consentiant, ut pro, vel vi coacturos, (quod est paulo infra) habeant, vel vicos arturos, sive arfuros: quod licet non probem, volui tamen admonuisse. Nuper autem adjecit Cæsar (ut opinor quod Allobroges, qui duce Catignato rebellaverant, post Catilinæ conjurationem, pacati fuerunt A. U. C. DCXCIV. biennio ante quam Helvetii domo sunt profecti. Dio lib. xxxvii. & Livius in epitoma lib. ciii.

Is dies erat ad V. Kalendarum Aprilis] Videtur scribendum ex antiqua formula, de qua infra dicitur: Is dies erat a. d. V. Kal. Apr.

Et sub jugum missum] VV. CC. habent, sub jugo; quod reperitur apud alios etiam scriptores. Livius lib. iiii. Sed ut (inquit) exprimatur tandem confessio, subjectam domitamque esse gentem, sub jugum habituros. Tribus hastis jugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata. Sub hoc jugo Dictator Æquos misit. De L. autem Cassio ita Livius in epitoma lib. lxxv. L. Cassius Cos. a Tigurinis Gallis pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est, &c. & Orosius lib. iv. Iisdem Jugurthini belli temporibus L. Cassius Cos. in Gallia Tigurinos usque Oceanum persecutus est. Rursusque ab iisdem, insidiis circumventus, occisus est L. quoque Piso legatus Cassii Cos. vir consularis occisus est. Appianus in Celtico.

Diem se ad deliberandum sumpturum] Eodem modo dixit Cicero lib. iv. de finibus: Spatium sumamus ad cogitandum. Item lib. ii. de oratore, sumere sibi tempus ad cogitandum, dixit.

Propterea quod aliud iter haberent nullum] Ita legitur in meo, v. c. & Vaticano, quæ videtur vetustior lectio.

Ad Idus April.] A. d. Idus April. ex antiqua formula scribendum esse, idque significare, ipsis Idibus Aprilis, vel ex hoc Plutarchi loco apparet in Romulo, ubi de Palilibus sic scribit: ὅτι μὲν ἡ κτίσις ἡμέρα ἐγένετο τῇ πρὸ ἑνδεκά παλαιῶν ματίων ὁμολογῆται. sed quia video docto viros de hac scriptura adhuc dubitare, ne aliqua dubitandi causa relinquatur, collatis aliquot scriptorum locis, antiquam formulam non solum confirmabo, sed etiam quoad fieri potest, explicabo. Suetonius mortem Claudii his plane verbis describit in Claudio. Excessit iiii. Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio Aviola Cos. Cornelius Tacitus lib. xii. ejusdem mortem ita refert: Tunc medio diei, tertio ante Idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro, Nero egreditur, atque ita Claudio mortuo imperium arripuit. Seneca libro de morte Claudii, quæ ἀποκολοκώπῃσιν inscripta, sic habet: Quid actum sit in cælo ante diem tertium Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio Aviola Cos. anno novo, initio sæculi felicissimi, volo memoriæ tradere, &c. Ex quibus locis apparet, Tertio Idus Octobris, Tertio ante Idus Octobris, ante diem tertium Idus Octobris, eundem diem significari. Item Plinius lib. iiii. cap. v. de sacris divæ Angenoræ ita plane scribit: Namque diva Angenora, cui sacrificatur ante

diem xii. Kal. Jan. ore obligato, obfignatoque simulacrum habet. Macrobius lib. i. Sat. cap. x. de iisdem sacris ita: Duodecimo vero Cal. Jan. feriæ sunt divæ Angenoræ, cui Pontifices in Sacello Voluptatis sacrum faciunt. Et in antiquo Calendario Romano, quod in ædibus Farnesianis servatur, ita ad diem xii. Kalend. Jan. adscriptum est, DIV. id est, Divalia, sive, dive Angenoræ feriæ. Ex quibus locis apparet, ante diem xii. Kal. Jan. & duodecimo Kal. Jan. eundem diem significari. Præterea Plinius lib. xviii. c. xxix. de Robigalibus sic scribit: Robigalia Numa constituit anno regni sui xi. quæ nunc aguntur ante diem xii. Kal. Maii. Itaque in Calendario, quod supra nominavimus, ad eum diem, nempe, vii. Kal. Maii adscriptum est, ROB. id est, Robigalia. Nec Varro repugnat Festo, ut putant nonnulli, quod is lib. v. de lingua Lat. scribat: Rustica Vinalia dicuntur ante diem xii. Kal. Sept. cum Festus dicat: Rustica vinalia appellantur mense Augusto, quartodecimo Kal. Sept. (ad quem diem, hoc est, xiv. Kal. Sept. in antiquo Calendario adscriptum est, VIN. id est, Vinalia) quia Varro libri de lingua Latina ante annum a Cæsare emendatum ad Solis cursum, scripti sunt, quo tempore Vinalia xii. Kal. Sept. fiebant, quæ postea Augusto mensi, ut tunc dicebant Sextili, duobus additis diebus, agi cœpta sunt, xiv. Kal. Sept. ut tradit Macrobius. Itaque emendandus erit Plinius lib. xviii. c. xix. cum scribit: Vinalia altera, quæ aguntur xiiii. Kal. Septembr. legendumque ante diem xiv. nam ex his quoque locis apparet ante diem xiv. Kal. Sept. & decimoquarto Kal. Sept. eundem diem significari. Eodem pertinent, quæ de Nonis scribit Varro lib. v. Nonas scilicet appellatas, quod ante diem nonum Eidus semper sint, cum tamen inter Nonas & Eidus septem tantum dies intersint. Quin & illud non erit ab hac translatione alienum notare, ante diem tertium Kal. ita dici, ut unus tantum dies ab ipsis Kalend. intermittatur; & post diem tertium, sive posttridie, ut unus tantum dies medius intersit. Quod vel ex hoc Varronis loco lib. v. intelligi potest: Saturnalia, inquit, dicta ab Saturno, ut post diem tertium Opalia Opis. Et ex Calendario item Farnesiano, in quo unus tantum dies inter Saturnalia & Opalia medius ponitur. Atque hæc confirmantur Ciceronis etiam loco ex lib. ii. Philipp. in quo ita habetur: Neque te illo die, neque postero vidi; neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste, foedere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium veni ad ædem Telluris, & quidem invitus, &c. Cum enim Cæsar Eidibus Martiis occisus fuisset, posttridie ejus diei, hoc est, xvi. Kal. April. ut tradit Appianus lib. ii. de B. C. in æde Telluris frequenti Senatu Cicero orationem habuit illam celebrem. Confirmantur præterea Hirtii quoque exemplo ex lib. iv. de bello Alex. in quo est: Cœpit ex eo prælio pentiremem, posteroque die ibi fuit, dum suas, captivæque naves ibi reficeret: post diem tertium contendit in insulam Issam, &c. Præterea Quinquatrus quinto ab Eidibus die ponuntur in antiquo Calendario, & post diem quin-

tum

tum Eidus dicebant Quinquatrus, cum tres tantum dies medii essent inter Eidus & Quinquatrus. Varro lib. v. Quod erat, inquit, post diem quintum Eidus, Quinquatrus dicebatur. Sed operæ pretium erit Kalendarii veteris ex mense Martio dies ipsos hic repræsentare, ut in marmore habentur:

G. SAT. FERIAE

H C

AOPAL. NP

B C

COIVAL. NP

D C

ELAR. NP

BEID. NP.

C. F.

D. LIB. N.

E C.

F. QVIN. N.

Prohiberi possent] VV. CC. & unus impressus habent, prohibere possent.

Garoceli] V. C. Gajoceli; ut fortasse Grajoceli scribendum sit, nam Alpes Grajæ ibi sunt, & Ocelum infra.

Et qua proximum erat iter] Totus hic locus ita legitur in duobus vetustissimis codicibus: Et qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat.

Eodem tempore, quo Ædui, Ambarri quoque] VV. CC. habent: Eodem tempore Ædui, Ambarrique, &c. sed cum supra Æduos tantum, & Allobrogas nominet, fieri potest, ut verba, quo Ædui, adjecta sint, legique debeat: Eodem tempore Ambarri, &c. Ædui autem est in vv. cc. non Hedui; & Strabo, itemque Ptolemæus, Αἰδύων ἔθνος.

Incredibili lenitate] Ita est in VV. CC. non, ut quidam legunt, levitate. Plinius lib. III. cap. IV. Rhodanus fluvius ex Alpibus sese rapiens per Lemannum lacum, segnemque deferens Araxim, nec minus se ipso torrentem Isaram, & Durentiam. Mela lib. III. cap. v. Araxes labitur placidus ac lenis, neque in utram partem eat, quamvis intuearis, manifestus.

Quartam vero partem] V. C. habet: Quartam fere partem.

In quattuor pagos divisa est] Provincie ut olim in partes dividebantur seu præfecturas, quas Ægyptii νομοὺς, Thracæ στρατηγίαι, Judæi τετραρχίαι & τοπαρχίαι dicebant, sic Helvetii & Suevi in pagos divisi erant, eo verbo suæ regionis partes appellantes, non ἀπὸ τῆς ποιῆς, ut ait Festus, quippe qui latius paterent, quam qui uno eodemque fonte uti possent, cum urbes duodecim & vicos quadringentos habitarent. Apud Lucanos Volcejum opidum, cujus meminit Plinius, per pagos habitabatur, ut ex antiqua inscriptione intelligitur, in qua plures illius opidi pagi nominantur, PACO FORENSI. PACO NARANO, &c.

Ægerrime confecerant, ut flumen transirent] Verba, ut flumen transirent, videntur adjecta. Et paulo post v. c. habet: Bello profequi perseveraret, non, persequi, & ita Cæsar loquitur infra, cum

ait: Neque longius profequi potuerunt. Sed infra rursus dixit: Sese bello civitatem persecuturum, & alibi: Persequamur eorum mentem, qui indignissime interierunt.

Quod improvise unum pagum adortus esset] Videtur legendum: Quod improvise unum pagum adortus vicisset; nam infra dixit: Dispersos subito adortum vicisse. Et paulo post v. c. habet, interitione exercitus.

Aut memoriam proderet] Faernus, ut alias diximus, legebat: memorie proderetur. Sed ea lectio ex conjectura petita est, nullius veteris libri confirmata testimonio. Itaque antiquam scripturam retinendam putamus, præsertim quæ vetustissimis libris, & usu loquendi, confirmetur. Nam & ipsa aliquando loca, in quibus insigne aliquid gestum erat, memoriam rei geste prodebant, ut ex historiis intelligi potest.

Quas legati Helvetii commemorassent] Videntur voces, legati Helvetii, inducendæ: nam præcedit; His ita respondit, &c. scilicet, legatis Helvetiis.

Merito populi Romani accidisset] Placeret, accidisset; ut ad eas res referatur.

Qui summo magistratui præerat] Magistratu, pro, magistratui, Cæsarem posuisse docet Agellius lib. IV. cap. XVI. ut infra, equitatu, pro equitatu, & exercitu, pro exercitu.

Quod si veteris contumeliæ oblivisci vellet] V. C. habet: Qui si veteris, &c. & paulo post: Quodque tandiu se impune tulisse, &c. Item: Idem facit Cæsar, &c. Propterea uti minus poterat, &c. Et: Ubi se diutius duci intellexit, & diem instare, &c. sine voce Cæsar. Hæc & si levia sion, non sunt tamen contemnenda.

Qui privatim plus possent, quam ipsi magistratus] V. C. habet privati: Unde videtur ita legendus hic locus: Qui privati plus possint, quam ipse magistratus. Nam unum apud Æduos fuisse annum magistratum, habetur supra.

Quod præstare debeant] Faernus, dicant, pro, debeant.

Imperia præferre] VV. CC. habent, perferre.

Quod necessariam rem coactus Cæsari enuntiarit] Faernus legebat: Quod necessario rem Cæsari enuntiarit, &c.

Reperiebat etiam in quærendo Cæsar, quod prælium equestre adversum paucis ante diebus esset factum, initium, &c. Sic habet V. C. & post: eorum, non, eorumque.

Per C. Valerium Procillum] V. C. habet, Procillum; & sic infra.

Et ostendit] Hæc verba non habentur in V. C.

Cum exercitui frumentum metiri oporteret] Exercitu, pro, exercitui scribendum esse docuimus supra ex Agellio. Singulis autem mensibus metiri solitum frumentum scribit Polybius lib. VI. ὁ δὲ ἰσχυρὸν δὲ, inquit, οἱ πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὄβολους. οἱ δὲ πρυγίνοιοι διπλοῦν. οἱ δὲ ἵππεῖς δρχυμῶν σιτομετρῶνται δὲ οἱ μὲν πεζοὶ οἱ πυρῶν ἄπτι- αὐτῶν μεδύμνα δύο μέρη μάλιστα πῶς. οἱ δὲ ἵππεῖς κελ- δῶν μὲν ἑπτὰ μεδύμνα εἰς τὸν μῶνα, πυρῶν δὲ δύο. τῶν δὲ συμμαχῶν, οἱ μὲν πεζοὶ οἱ τοῖσον. οἱ δὲ

ἰππεῖς πρῶτον μὲν μέδιμον ἕνα, καὶ τρίτον μέτρος. κελῶν δὲ πέντε. Suetonius in Cæsare cap. xxvi. Frumentum, cum copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit.

Reperit esse vera] Liber Faerni non habet verbum, esse & paulo post in VV. CC. est: Cupidum rerum novarum, &c. Item: Quod eorum adventu potentia ejus diminuta, & Divitiacus frater in antiquum locum gratiæ, atque honoris sit restitutus, &c. &: Regni per Helvetios obtinendi.

T. Labienus legatum prope] Non est reiicienda hujus loci antiqua scriptura, quæ habetur in vetustissimis libris Vaticano, & meo, in quibus est Proprætor, non, prope. Nam ea lectio confirmatur testimonio antiquitatis, quæ habetur in veteribus inscriptionibus, & argenteis etiam denariis, uno M. Bruti, Cæsaris percussoris, in quo BRUTVS ipse PROCOS. describitur, ejus vero legatus C. FLAVIUS, in eodem denario LEG. PROPR. dicitur altero, Q. Cæcili Metelli Pii, qui cum PROCOS. in Africa rem gesserit, ejus legatus P. CRASSVS. JUNI in eodem denario LEG. PROPR. dicitur, etiam P. Carisius, qui in æreo Augusti numismate P. CARISIVS LEGATVS AVGVSTI dicitur, in argenteo denario, in quo Emerita opidum a Carisio jussu Augusti in Lusitania conditum, impressum est, P. CARISVS LEG. PROPR. scribitur. Et M. PUBLICVS, qui Cn. Pompeii Magni in Hispania legatus fuit, in argenteo item denario, LEG. PROPR. dicitur. Ut videri possit his nominibus extraordinaria imperia ornari solita fuisse apud Romanos, cum abente Magistratu, cui provincia decreta erat, ejus magistratus legati, aliquo mitterentur, cum imperio ad rem gerendam. Quo exemplo T. Labienus legatus Cæsaris, qui Galliam provinciam Proconsulari potestate obtinebat, Legatus Proprætor a Cæsare dictus est. Cum autem librarii ἐν τῶν ἀσφαφέσεων εἰς τὰ σαφέτερα labi soliti sint, non est mirandum, si ex obscuriore voce Proprætor, lapsi sunt in, prope, dictionem visitationem. Simile mendum habetur lib. I. de B. C. in quo est: Faustus Sulla prope in Mauritaniam mittatur, &c. cum in VV. CC. sit, Proprætor, ut ad eum locum notavimus PROCOS. autem & PROPR. cum in provincias proficiscebantur, Legatos secum ducebant, quorum consilio atque opera rempublicam administrarent, de quibus ita scribit Varro: Legati qui publice lecti, quorum opera, consilioque utuntur peregre magistratus. Atque hos Cicero in Vatinius, vocat pacis ac belli curatores & interpretes, bellici consilii auctores, ministros provinciales.

Et iisdem ducibus] Faernus ex v. c. legebat, Et iisdem ducibus.

Prima luce] Polybius dixit, ἀπὸ τῆς πρώτης, quod Livius vertit, prima luce. Cicero, cum prima luce, usurpavit, sed ad Græcam dicendi formam propius accedit Plautus, qui dixit: Cum luce simul. Videnda quæ infra notavimus de primo luci.

Id se Gallicis armis] V. C. habet, Id se a Gallicis armis, vel ut est in aliis, id se ex Gallicis armis.

Decurionis equitum Gallorum] Vegetius lib. XI. cap. XIV. scribit turmam equitum ex equitibus XXXII. constare, quique illi præsit, Decurionem

dici. Sed M. Varro lib. IV. ait: Turma est, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium, & Lucerum fiebant, itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni, & ita Festus.

Discedere a se existimaret] V. C. non habet, a se; & post habet: sive quod re frumentaria, &c.

Postquam id animadvertit] In v. c. est, animus advertit, cum hic, tum infra pluribus locis & ita est in antiquissima tabula ænea quæ est apud me Senatusconsulti, sive responsi Tiburtibus a Prætoris dati: BA. SENATVS. ANIMVM. ADVORTIT. &c. Paulo post v. c. habet, veteranarum; ut ad legionum referatur: quomodo loqui Cæsar solet. Item: Collocaret, & impleter.

Phalange facta] Phalangem facere dicebant, cum pedites scuta scutis ita conferebant, ut unum alius superveniret, eamque pro muro hostibus obiciebant.

Cæsar primum suo, deinde omnium e conspectu remotis equis] Voces e conspectu, suspicor abundare; nam apud Suetonium non legitur in Cæsare cap. LX. Ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto. Sallustius in Catilin. Dein remotis omnium equis, quo militibus exequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum instruit.

Milites e loco superiore pilis missis] Ita est in VV. CC. sed opinor scribendum esse, emissis, non, missis, ita enim lib. II. dixit: Pilis emissis cursu ac lassitudine, &c. Vegetius lib. II. cap. XV. Item bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque, & semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum. Aliud minus, ferro triangulo, unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.

Quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis] Duobus enim aut simul pluribus scutis pilorum ictu transfixis, & inter se colligatis, fiebat, ut milites illi, quorum erant scuta, aut simul omnes pugnare, aut scutis dimissis nudare corpora cogerentur, si sigillatim decertare vellent, pila namque quod ferrum eorum se inflexerat, evellere non poterant.

Ex itinere nostros latere aperto aggressi circumvenire: id conspicati Helvetii] In duobus vetustissimis libris est, circumvenere, & id conspicati Helvetii, &c. Quod autem sequitur: Romani conversa signa bipertito intulerunt, &c. videndum an illud bipertito, glossema sit, nam ex VV. CC. alii habent, tripartito, alii partita. Infra sine hac voce dixit: Tribunos militum monuit, ut paulatim se legiones conjungerent, & conversa signa in hostes inferrent.

Diutius cum nostrorum impetum] Videndum an legi debeat: Demum cum nostrorum impetum; nam præcedit: ita ancipiti prælio diu, acriterque pugnatum est, & sequitur: Cum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit. Ad vesperam autem habet liber vetus; & Charisius scribit, Cæsarem in epistola ad Frontonem, Vespera pro, Vesperis, dixisse.

Ad

Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est] Videtur Plutarchus legisse apud Cæsarem, ad mediam noctem; ita enim scribit: ὡς ἔτι μὲν μάχῃ μάλιστα εἰς μῆστας νύκτας τελεῖται.

Ac tragulas subiciebant] Videndum an, abiciebant, scribendum sit: ita enim locutus est lib. v. de bello Gallico, & de bello Africo. Mataras autem est in v. c. ex quo emendandus Livius lib. vii. Strabo lib. ix. & alibi.

Circiter millia hominum cxxx.] V. C. habet, Circiter hominum millia cxxx. &c.

Nullam partem noctis itinere intermisso] Sic lib. iii. Neque diem, neque noctem intermittit. V. C. habet nulla parte noctis, ut libro iii. de B. C. ubi est: Parva parte noctis itinere intermisso.

Se eodem loco illos] Vox, illos, non est in V. C.

Prima nocte] Ita locutus est lib. ii. de B. C. ubi est: Equitatum omnem prima nocte ad castra, hostium mittit, &c. ut nihil necesse sit mutare in prima noctis vigilia.

Quorum per fines ierant] Videtur legendum, irent.

Si sibi purgati esse vellent] In Senatusconsulto sive responso, quod a Prætor Romano Tiburtibus datum est in ænea tabella, cujus meminimus supra, simili modo dictum est: QVONQVE. DE. EIEIS. REBVS. SENATVEI. PVRGATI. ESTIS. CREDIMVS. VOSQVE. ANIMVM. VOSTRVM. INDOVCERE. OPORTET. ET. ITEM. VOS. POPVLO. ROMANO. PVRGATOS. FORE.

Nihil erat, quo famem tolerarent] Livius lib. xxvi. Nec famem tolerare servitia ac plebs poterant. Cæsar tamen lib. vii. extremam famem sustentare dixit; & item: Vitam tolerare, ut Virgilius illo versu:

Cui tolerare vitam cole, &c. Et Sallustius: Quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat.

Quod egregia virtute erant cogniti] Verbum, cogniti, abest ab antiquissimo libro. In quo paulo post, pro eosque postea, scriptum est, quos postea, vel ut in alio, quosque postea. Quæ sane lectio melior est. Quod autem sequitur: Imparem juris libertatisque conditione, &c. id additum est, quia Senatus Æduos fratres consanguineosque appellavit. Deducti autem sunt Gergoviam, ut habetur infra lib. vii.

Litteris Græcis confectæ, & ad Cæsarem perlatæ] In duobus VV. CC. scriptum est, relatæ. Libro autem vi. ita de hac re locutus est cum dixit: Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis litteris utantur. Strabo lib. iv. καὶ φιλέλλως, inquit, κατεσκευάζε τοὺς γέλκτας, ὡς ἔτι τὰ συμβόλαια ἑλλῶσι ἰχράφειν.

Summa omnium fuerunt ad millia ccclxviii.] Plutarchus in Cæsare: τελέοντα μὲν αἱ πᾶσαι μνημάδες ἄντες, εἰκοσι δὲ αἱ μαχόμεναι, μίαις δέκται. & videtur legendum, fuerat, non fuerant, nam supra dixit: Summa erat. Appianus ad cc. milia, Orosius clvii. millia edit.

Intelligere sese tametsi] V. C. habet: Intelligere sese jam, et si, &c. & paulo post habet, e commu-

ni confesso, pro eo, quod in vulgatis est, consensu.

Qui ante fuerant] Faernus, ut opinor, ex conjectura legebat, iverant, non, fuerant. Sed videntur hæc adjecticia esse. Ut illud, occulto, quod ex margine sine dubio irrepsit.

Sese omnes flentes Cæsaris ad pedes projecerunt] V. C. habet: Cæsari ad pedes. Quæ lectio magis placet, & scriptorum exemplis confirmatur.

Sese neque obsides repetituros] Faernus ex vetere libro legebat, se neque obsides repetituros, &c. & paulo post, occupavisset, pro, occupasset. Item: Si quid ille se velit.

Harudum millia hominum] Videtur abundare vox, hominum licet sit in veteribus libris. Harudes autem a Ptolemæo lib. ii. χροῦδες nominantur, interque Germaniæ populos numerantur.

Gallicum cum Germanorum agro] Videtur legendum: Neque enim conferendum esse cum Gallico Germanorum agrum; nam sequitur: Neque hanc consuetudinem victus, scilicet, Gallici. Et hoc sensu usurpavit Cicero vocem, victus, ut lib. xii. ad Atticum ep. xxv. cum ait. Præterea nostri Niciæ nostri imbecillitatem, molliem, consuetudinem victus. Alibi tamen posuit pro ipso congressu, & familiaritate. Ut pro Milone, cum ait: Consuetudines victus non possunt esse cum multis.

Animadvertit Cæsar unos ex omnibus Sequanos] VV. CC. miro consensu habent: Animadvertit Cæsar unus ex omnibus, Sequanos, &c.

Hoc esse miseriosem, graviosemque fortunam Sequanorum] Ita, Faernus legebat ex veteribus libris.

Propterea quod reliquis tantum fugæ facultas daretur] Faernus legebat, tamen, pro, tantum: & paulo post, temperaturos, pro, obtemperaturos. Quæ lectio vera est. Sic enim supra habetur, ubi scriptum est. Neque homines, inimico animo data facultate temperaturos, ab injuria & maleficio. Cicero pro Flacco: Ut qui ante dictum testimonium sibi temperarit, & in Verrem lib. iv. sibi temperare non potuerit.

Cimbri Teutonique] Cæsar lib. ii. habet Teutonas. Sed cum in veteribus libris ibi sit Teutos, & lib. vii. Cimbrorum Teutonorumque dixerit, placet ut Teutoni retineamus, non Teutones; nam sic est in vetustissimo marmoreo fragmento, quod est apud me ex Quirinali translatum ex adibus Pomponianis, cujus exemplum infra ponetur.

Locum medium utriusque colloquio deligeret] Videtur legendum: locum medium utrisque colloquio, &c.

Sine magno comœatu, atque emolumento] Vox, molimento, quam viri docti reposuerunt, ita est ab omnibus recepta, ut dubitandum de ea non sit. Sisenna eam usurpavit, cum dixit lib. iv. hist. apud Nonium: Contra magno cum molimento, ac perpetuo sono procedunt, hoc est, molimine. Videndum tamen an pro comœatu apud Cæsarem, legendum sit, comitatu. Nam hoc verbo ipse Cæsar sæpius utitur, ut lib. i. B. C. cum inquit: Neque maximi comitatus, qui ex Italia Galliaque veniebant, &c. Item: Magnos comitatus, qui iter habebant ad Cæsarem, &c. & comitatus, & qui frumenti causa processerant, tuto ad se recepit. At que

que hoc loco in vv. cc. comitatus, est, non, com-
meatus.

Neque de communi re dicendum sibi] Cum in-
fra lib. v. sit : Habere se quæ de communi re dicere
vellent, &c. nihil mutandum, libris præsertim ve-
teribus non repugnantibus, a quibus abest illud, di-
scendum, quod a quibusdam repositum est pro di-
cendum.

Si id ita fecisset] Faernus reiciebat ex v. c.
particulam, ita.

Neve his, sociisque eorum bellum inferret]
Faernus legebat : Neve iis, sociisque eorum bel-
lum inferret. Paulo post legendum : M. Messala.
M. Pisone Cos &c. ut initio hujus libri. Nam
L. Piso Cæsaris focer cum A. Gabinio Cos.
fuit.

Magnam Cæsarem injuriam facere] In v. c. ita
hæc verba collocantur : Magnam Cæsarem facere
injuriam. Et paulo post habet : si in eo mane-
rent, quod convenisset, &c. cum in vulgatis sit,
convenissent. Mela lib. i. cap. vii. Postquam in eo,
quod convenerat, non manebatur.

Longe iis fratrum nomen P. R. ab futurum]
Faernus, ut alias diximus, legebat futurum. Utra-
que lectio confirmatur exemplis Scriptorum. Vir-
gilius lib. xii. Longe illi dea mater erit. Ovidius
lib. iv. Metamorph. Longe tibi Juppiter absit.

Quæ ad bellum usui erant] Videtur legendum,
usu, ex Agellio, ut supra diximus; & paulo
post, difficultas, habent duo vetustissimi libri,
pro, facultas.

Treviri autem, pagos centum Suevorum] In
duobus vetustissimis libris est; Tréveri, constanter.
Pagos autem pro præfecturis accipi debere, dixi-
mus supra. Cæsar lib. iv. Centum pagos habere
dicuntur, ex quibus quotannis singula millia ar-
matorum bellandi causa suis ex finibus educunt.
Cornelius Tacitus de moribus Germanorum : Cen-
tum pagis habitatur, magnoque corpore efficitur,
ut se Suevorum caput credant.

Vesontionem] Ptolemæus habet, Visontionem
& aliquot item libri. Et post v. c. habet : Flu-
men Adduas dubis; quod Dioni & Straboni,
Dubis. Item : Qua a flumine intermittitur. Sic et-
iam lib. vii. Ad eam opidi partem, quæ intermis-
sa a flumine & palude, aditum habebat.

Ne vultum quidem atque aciem oculorum dice-
bant ferre potuisse] Verbum, dicebant, Faernus
tollebat.

Hic primum ortus &c.] Totus hic locus ita
legitur in v. c. Hic primum ortus est a Trib.
Mil. Præfectis, reliquisque, qui ex urbe amicitia
causa Cæsarem secuti magnum periculum misera-
bantur, quod non magnum in re militari usum
habebant, &c. ut fortasse legendum sit : Magnum
periculum esse rebantur, quod non, &c. Paulo
post, pro, causa illata, videtur legendum, causa
allata; nam ita locutus est Cicero ad Att. lib.
ii. ep. xv. Quoniam justam causam affers, quod
te hoc tempore videre non possim; & alibi: Hanc,
ut sibi ignoscerem, causam afferebat.

Aut suum fatum querebantur] V. C. habet, sta-
tum, pro, fatum.

Sed angustias itineris, magnitudinemque silva-

rum] Ita v. c. & Faernus. Et paulo post : Hæc
cum animadvertisset Cæsar, &c. Sed v. c. non
habet nomen, Cæsar.

Æquitate conditionis] Faernus ex v. c. lege-
bat, conditionum.

Non minorem laudem exercitus, quam ipse
Imperator meritus esse videbatur] Verbum esse,
a v. c. abest. Videtur autem hic locus ita legen-
dus : Factum ejus hostis periculum patrum no-
strorum memoria Cimbris & Teutonis pulsus; cum
non minorem laudem exercitus, quam ipse Im-
perator meritus videbatur. Plutarchus hunc locum
aliter legisse videtur apud Cæsarem, nam sic ait :
ἐπὶ τοῖς Βαρβάροις πορδίσθαι μῆτε κρείττοσι μέλ-
λων κίμβρων μίχασθαι πολεμίοις, μῆτε αὐτοῖς ὡς
Μαρίου χείρων στρατηγός. De Cimbris & Teuto-
nis a C. Mario fuis, fugatisque sic habetur in
ipsa C. Marii apud me inscriptione, de qua supra
meminimus : TEVTONORVM EXERCITVM CIM-
BROS FVGAVIT.

Nuper in Italia servili tumultu] Additum vi-
detur illud, nuper, quia circa annum urbis DCLXXX.
M. Crassus Prætor, ut ait Livius in Epit. LXXXVII.
primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis,
Germanisque constabat, feliciter pugnavit, caesis
hostium xxxv. millibus, & duce eorum Granico.
Dein Spartacum debellavit.

Quos tamen aliquis usus] VV. CC. habent, ali-
quid, pro, aliquis. Et paulo post : Denique hos
esse Germanos, &c. sine voce, eisdem. Item : Non
solum in suis, sed etiam in illorum finibus, &c.
sine dictione, sedibus; quæ videtur abundare.

Hoc si quærent] V. C. habet : Hos si quære-
rent. Et paulo post, tenuisset, pro, contulisset.

Qui suum timorem in rei frumentariæ simula-
tionem, angustiasque itineris conferret] Viden-
dum an legi debeat : Qui sui timoris simula-
tionem in rem frumentariam, angustiasque itineris
conferret. Liber unus manuscriptus habet, sui,
& Cæsari ipse lib. ii. de B. C. simulationem timo-
ris dixit. In v. c. est itinerum, pro, itineris;
& Faernus legebat, viderentur, pro, auderent.

Suam innocentiam perpetuam vitæ felicitatem,
&c.] Ita habet v. c. ut videatur legendum : suam
innocentiam perpetua vita; felicitatem, &c.

Sibique eam Prætoriam cohortem futuram] Fe-
stus : Prætoriam cohors est dicta, quod a Præto-
re non discedebat. Scipio enim Africanus primus
fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello
non discederent, & cætero munere militiæ vaca-
rent, & sesquiplext stipendium acciperent.

Repræsentaturum] Non placet, quod quidam
reponunt, tentaturum. Frequens enim id verbum
cum apud alios, tum in primis apud Ciceronem
multis locis, ut lib. xvi. ad Tironem : Dies pro-
missionis adest, quem etiam repræsentabo, si ad-
veneris.

Hic Cæsar legioni indulserat præcipue] Ita
est in v. c. In quo paulo post ita legitur hic lo-
cus : Deinde reliquæ legiones Tribunis Mil. &
primorum ordinum Centurionibus egerunt, uti
per eos Cæsari satisfacerent, &c.

Quod ex aliis Gallis ei maximam fidem ha-
bebat] Vox, Gallis, abest a vv. cc. & paulo
post

post habetur: Cæsar quod neque colloquium interposita causa tolli volebat.

Pollicitum esse in cohortis se Prætoris loco, &c.] Totus hic locus ita legitur in v. c. Pollicitum se in cohortis Prætoris loco decimam legionem habiturum; ad equum (sive ut est in alio manuscripto) ad equitum rescribere, &c. Porro honestius fuisse, lautiusque equo merere, quam ordines ducere docet Cicero lib. i. Philipp. cū inquit: Non quero istos, quicumque ordines duxerint indices: at si ferretis, quicumque æquo meruisset, quod est lautius, nemini probaretis.

Munera amplissima missa] De vetusto hoc, ut inquit, Tacitus, munera mittendi more, sic Livius de Massinissa lib. xxx. Munera, inquit, quæ legati ferrent regi, decreverunt, &c. & lib. xxvii. de Syphace: Legati dona tulere, togamque & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream, &c. Taciti verba de Ptolemæo hæc sunt ex lib. xiv. Qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera darent regemque & socium atque amicum appellarent. Paulo post Faernus legebat, auctos velit esse, non, auctiores.

Tumulus tereus] Liber Vaticanus habet, tereus; & paulo post, pro, hic locus æquo fere spatium, v. c. habet: æquum fere spatium.

Quam rem & paucis contigisse, & pro magnis hominum officiis consuevisse tribui docebat] Ita in v. c. legitur hic locus, deletis dictionibus, a Romanis, & voce, maximis, in, magnis, mutata. Et paulo post: Illum, quando neque aditum, &c. pro, cum neque aditum. Sic autem locutus est lib. v. Tunc, inquit, qui aliquem aditum causamque amicitia cum Cicerone haberet; & lib. ii. B. C. per quem quisque aditum commendationis haberet. Item v. c. habet, dicebat, pro, docebat verbo, quod est secundo loco positum.

Transisse Rhenum sese non sua sponte] V. C. habet: Transisse se non sua sponte, &c. ut vox, Rhenum, adjecta esse videatur.

Si iterum experiri velint] Totus hic locus ita legitur in vv. cc. Si iterum experiri vellent, se iterum paratum decertare. Si pacem mallent (vel ut est in alio libro) si pace uti mallent, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus pependerit.

Idque se ea spe] V. C. habet, hac spe. Et paulo post: Id se suos muniendi, &c. non, sui, ut est in vulgatis. Item: Non Gallia impugnandæ causa, &c.

Quod ex S. C. Æduos] V. C. habet: Quod fratres ex S. C. & amicos Æduos appellatos diceret (vel ut est in alio) Quod fratres a Senatu & amicos, &c.

Sed defenderit] Videtur deesse verbum, illatum: ut integra lectio sit: sed illatum defenderit. Sic alibi locutus est Cæsar lib. ii. cum, inquit, alias bellum inferrent, alias illatum defenderent; & lib. vi. Aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent, & eodem lib. cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert.

Simulata Cæsarem amicitia] Liber unus manuscriptus habet, Simulatam Cæsaris amicitiam, &c.

sine verbo, debere, ut Faernus. Et paulo post v. c. habet: Qui nisi decedat. Item: Quod si decessisset, & liberam possessionem Gallia sibi tradidisset (vel, ut est in alio codice) Quod si recessisset, &c.

Arvernos & Rutenos a Q. Fabio Maximo] Huc pertinet fragmentum triumphii, quod est in Bibliotheca Farnesiana: Q. FABIVS. Q. ÆMILIANI. F. Q. N. AN. DC... MAXIMVS. PROCOS. DE. ALLOBROGIB. ET. REGE. AVERNORVM. BETVLTO. X. K... & Eutropius lib. iv. refert Q. Fabium Maximum cum Betulto Arvernorum rege bellum gessisse, & partim in prælio, partim in ipso flumine cl. millia Gallorum interfecisse, ex quo nomen Allobrogici reportaverit. Strabo lib. iv.

Et ad nostros adequitare] V. C. non habet particulam, ad. Et post Faernus non habet verbum, commissum, quod videtur adjectum.

Posteaquam in vulgus militum relatum est] Elatum, pro, relatum, habetur in vv. cc. & ipse Cæsar ita locutus est infra lib. vi. cum dixit: Quod neque in vulgus disciplinam efferri voluit; & Tacitus lib. xii. elataque, inquit, vox ejus in vulgus.

Colloquium ut diremisset] In vv. cc. non est particula, ut. Et paulo post: Ariovistus ad Cæsarem legatos misit. Item: Uti aut iterum colloquio diem constitueret. Nam in vulgatis non est dicitio, aut. Et paulo infra habent vv. cc. colloquendi causa Cæsari visa non est.

Quod pridie ejus diei Germani retineri non poterant, quin in nostros tela conicerent] In vv. cc. est: Quod pridie ejus diei Germani retineri non poterant (sive ut est in alio codice) potuerint, quin tela in nostros conicerent.

Legatum ex suis] Hinc intelligi potest, Consules, Proconsules, Prætores, & Proprætoribus legatos secum ducere solitos fuisse, cum in provincias, aut ad bellum gerendum proficiscerentur. Varro de ling. Lat. Legati, inquit, qui lecti publice, quorum opera, consilioque uteretur peregre magistratus.

M. Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium] Ita est in libris Vaticano, & meo. Quæ vero sequuntur verba, perturbata sunt in vulgatis editionibus. In manuscriptis autem duobus exemplaribus minus, ut opinor, corrupte leguntur ita: Cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, quorum amicitia jam Ariovistus longa consuetudine utebatur, & propter fidem, & propter linguæ Gallicæ scientiam, & quod, &c. Nos ita legendum putamus: Cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, & propter fidem, & propter linguæ Gallicæ scientiam, qua multum Ariovistus longa jam consuetudine utebatur, &c. Nam, multum aliqua re uti, Cicero sæpius usurpat. Longa autem, pro, longinqua vv. cc. habent constanter. Sed videndum an M. hic Valerius, recte in manuscriptis Cai prænomine afficiatur, & an idem sit, qui supra C. Valerius Troacillus dictus est. Nam ille princeps Gallia provincie, hic summa virtute & nobilitate adolescens; illius siletur pater, hujus C. Valerius Caburius nominatur. Præterea infra lib. vii. hujus frater dicitur C. Valerius Donotaurus. Cum tamen sit distinguendus prænomine, si hic recte Cajus prænominatur. Ut fortasse verior sit scri-

scriptura librorum vulgatorum, in quibus Marci prænomine afficitur; præsertim cum in aliquibus manuscriptis nullum prænomen additum sit. Illud tantum obstat, quod supra de illo dixerit, Cui summam rerum omnium fidem habeat, &c. ut inde eundem esse cum eo, qui hic nominatur, suspicari aliquis possit. Qui vero paulo post M. Titius in vulgatis libris dicitur, is in vv. cc. M. Mettius nominatur tum hic, tum infra, ut dubitari non possit, quia de M. METTIO intelligendum sit, qui in Cæsaris denariis descriptus est. Infra, ubi est, conantes dicere, v. c. habet, causam conantes dicere, quod verbum fortasse ob præcedentem dictionem causa, omissum a librariis est.

Circiter passus sexcentos ab his castris] Faernus debebat dictiones, ab his. Et paulo post ex duobus vetustissimis libris legebat: Primam & secundam aciem in armis sese tenere, tertiam castra munire iussit; is locus ab hoste circiter passus sexcentos, uti dictum est, aberat; eo circiter hominum xvi. millia, &c. sine voce, numero.

Et una M. Titium] VV. CC. habent: M. Mettium, & ita etiam paulo post: M. autem hic METTIUS, ut supra diximus, in Cæsaris denariis argenteis descriptus est.

Paululumque a majoribus castris progressus] Vox, castris, non est in duobus vv. cc. & fortasse glossa est. In iis autem vv. cc. paulo post est: Ut castra oppugnaret.

Quod apud Germanos consuetudo esset, ut matres familias eorum, sortibus vaticinationibusque declararent, &c. Si ante Lunam novam, &c. alarios omnes, &c.] Ita legitur hic locus in vv. cc. De hac autem re ita Plutarchus in Cæsare: *Ἐπὶ δὲ μᾶλλον αὐτῶν ἠμβλυσε τὰ μαντεύματα τῶν ἱερῶν γυναικῶν, αἱ ποταμῶν δίναις προβλέπεται καὶ ἐλαμάτων ἐλιγμοῖς, καὶ ψόφοις τεκμαιρόμεναι, προεθέτοιζον ἢ ἑῶται μάχῃ τιθεσθαι πρὶν ἐπιλάμψαι νέκν σελήνῃ.*

Postridie ejus diei Cæsar præsidio utrisque castris, &c. relicto, alarios omnes, &c.] Ita v. c.

Tum vero necessario Germani suas copias castris eduxerunt, generatimque instituerunt Harudes, Marcomannos, Triboccos] Ita est in vv. cc. Ptolemæus item habet, *τρίβοκκοι*. At Strabo, *τρίβοκχοι*. Qui vero Sedusii a Cæsare dicuntur, nominantur Seduni a Plinio. Ut apud Ptolemæum videatur le-

gendum: *Μαρκουμάννοι, ὅφ' ἔς σήδανον, pro, σουδηνοί.*

Quæ ad prælium proficiscentes] Ita Faernus legebat, delata voce, milites. Et paulo post in v. c. est: Animum adverterat, pro animadverterat.

Reperti sunt complures, qui in phalanga infligent, scuta manibus revellerent] Ita legitur hic locus in vv. cc. De hac re ita scribit Orosius lib. vi. Pugna maxime gravis ex Phalange Germanorum fuit, quam coactis in unum agmine, scutisque supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti undique præstruxerant. Sed postquam Romanorum aliqui militum agilitate audaciaque insignes, supra obductam saliere testudinem, scutisque velut squamis sigillatim revulsis, desuper nudos detestorum humeros perfoderunt, territi hostes novo mortis periculo, terribilem dissolvere compagem.

Millia passuum ex eo loco circiter quinque pervenerunt] Recte conjecerunt docti viri legendum esse, quinquaginta. Conjectura vero confirmatur loco Plutarchi, qui habet in emendationibus libris, *σχιδίσις τετρακοσίοις*; quæ stadia, millia passuum sunt quinquaginta. Præterea Orosius lib. vi. ex Suetonio, ut initio operis sui fatetur, ita hunc locum expressit: exinde in fugam versi per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt.

Tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit] V. C. partem, habet, pro, aciem. Et paulo post, transnare, pro, tranare: item, reppererunt, pro, petierunt, &, eduxerat, pro adduxerat. Item: Duæ filiae, harum altera, &c.

Ad conventus agendos] Qui Proconsulibus, aut Proprætoribus in provincias cum exercitu mittebantur, æstivos menses rei militari, hibernos jurisdictioni dare solebant. Cicero ad Atticum: Erat, inquit, mihi in animo recta proficisci ad exercitum, æstivos menses reliquos rei militari dare, hibernos jurisdictioni, &c. Quia vero in singulis provinciis erant designatæ civitates, in quibus conventus peragerentur. Proconsule vel Proprætoris edictum proponebat per singula oppida, quæ illis conventibus assignata erant; aut etiam per totam provinciam, quo decreto provinciales ad conventum evocabat, certa ejus rei die constituta. Cæsar lib. ii. de B. C. Cæsar, inquit, edictum præmisit, ad quam diem magistratus, principisque omnium civitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet.

Ad Librum Secundum de Bello Gallico.

ITA uti supra demonstravimus] In vv. cc. dictio, supra, non habetur, & paulo post ita legitur hic locus: Partim, qui Germanos diutius in Gallia versari nollent, &c. partim, qui mobilitate & levitate animi novis imperiis studebant, &c. Item: Qui minus facile eam rem imperio nostro consequi poterant, &: Inita æstate, &: In anteriorem Galliam, &c. non, ulteriorem.

Exercitus in unum conduci] V. C. habet, exercitum, & paulo post: Quin ad eos duodecimo die proficisceretur, &c. Item: Re frumentaria provisa, &c. non, comparata.

Primos civitatis suæ] Vox, suæ, abest a v. c.

Qui ripas Rheni incolunt] VV. CC. habent: Qui cis Rhenum incolunt, & ita dixit lib. iv. cis Rhenum dispositis præsidiis.

Ne Sueffiones quidem] Ita edunt vv. cc. & Hirtius lib. viii. Plinius item lib. iv. cap. xvii. & Strabo. Ptolemæus autem corrupte *ουέσσιονες*, pro, *Συέσιονες*, sive ut verius scribamus, *Συέσιονες*.

Ingredi prohibuissent] Faernus legebat prohibuerint. De hac re ita Strabo lib. iv. *τούτων δὲ τοῖς Βέλγαις ἀρίστοις φάσιν, εἰς πευπεγκίδεκα ἔθνη διηρημένοις, ὥστε μόνοις ἀντέχειν πρὸς τὴν τῶν Γερμανῶν*

των ἔφοδον, Κίμβρων, καὶ Τάτωνων. Αὐτῶν δὲ τῶν Βελγῶν βελλοάκοις ἀρίστοις φασὶ μετὰ δὲ τούτοις, Σχεσσίωνας. τῆς δὲ πολυανθρωπίας σημεῖοι, οἷς γὰρ. λ. μυριάδας ἔξετάζεσθαι φασὶ τῶν Βελγῶν πρότερον τῶν διωκμένων φέρειν ὄπλα. Teutones autem scribendum esse diximus supra ex vv. cc. & antiqui item lapidis apud me fragmento, in quo est :

.. VGVV. TR. MIL. EXTRA
 .. VGVVTHA. REGE. NVVIB
 .. TRIVMPHANS. IN
 .. ANTE CVRRVM. SVVVM
 .. NSVL. APSENS. CREATVS
 .. NORVM. EXERCITVM
 .. CIMBROS. FVGAUIT. EX. IEIS
 .. HAVIT REMP. TVRBATAM

Ad id bellum pollicitus esset, cognoverant] VV. CC. habent : Pollicitus sit, cognoverit. Et paulo post : Bellovagos, &c. & ita Orosius. Item : eos, pro, hos ; & : Fines latissimos, feracissimosque agros possidere, &c. cum in aliis desit vox, fines.

Nunc esse regem Galbam] Dio lib. xxxix. Ἀδραν προσήσάμενοι. Galba vero Romanæ familiæ cognomen est. Mihi quidem suspectum est nomen Sueffiones, licet ita & Orosius habeat ; eos enim supra dixit fratres consanguineosque Rhemorum, eodem jure, iisdemque legibus uti, unum magistratum cum ipsis habere, &c. Earum regionum, pro, harum regionum, habet liber Faerni, & meus.

Morinos xv. millia] V. C. habet, xxv. & ita Orosius lib. vi. qui hæc a Cæsare ad verbum fere descripsit. Velocasses, item legit idem Orosius, pro, Verocasses, ut est in duobus vv. cc. & Viromanduos, & Caletos ; licet a Ptolemæo corrupte, οἱ ῥομάνδουες, pro, ἰερομάνδουες, & καλήτηι dicantur. Atuaticos autem est in veteribus libris, pro, Catuacos ; & ita edit Orosius, Strabo lib. iv. & Ptolemæus præterea, Cærosos, Cænomanos.

Ad se venire vidit] Verbum, vidit, non est in v. c. & certe sine ullo orationis dispendio abesse potest, quia sequitur paulo post, cognovit.

Et post eum quæ essent] In VV. CC. est, erant, videtur autem legendum, post ea, ut ad castra referatur.

Fossaque duodeviginti pedum munire jubet] V. C. habet : Fossa duodecim pedum muniri jubet. Et paulo post : At ubi circumjecta multitudo, &c.

Testudine facta portis succedunt] De hac testudine, quæ in oppidorum oppugnatione fiebat confertis clypeis militum capita operientibus, videndus Dio lib. xlix. & Plutarchus in Antonio, qui eam ita describit : Αὐτοὶ δὲ καθέντες εἰς γόνυ προύβαλοντο τοῖς θυρεῖς, οἷδὲ ὅπισθε ὑπερέχον αὐτῶν τὰ ὄπλα, κακίνοιον ὁμοίως ἕτεροι. τὸ δὲ χῆμα παραπλήσιον ἐρέψει γινόμενον, ὅσιντε δεατηκῶν παρέχε, καὶ τῶν προβλημάτων στεγανὴ τὰ τὸν ἐστὶ πρὸς οἰσθούς ἀπολισθαίνοντας. διὸ τῶν πλῶντων ἔξαπινάκιος ἀπώλαστον ἐποίησαν, καὶ τὰ γόνατα σφῶν ἀρκετὰ πρὸς τῶν γλῶ ἤρεισαν. Livius lib. x. Testudine facta in urbem perumpunt, lib. xxxi. At testudine succedi ad portam, lib. xxxiv. Sublatis deinde super capita scutis, continuatque ita inter se, &c. testudine facta subi-

Tom. VII.

bant : lib. xliv. Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis & quartis, postremis etiam genuinixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum fuit, testudinem faciebant, &c. huic testudini simillima parti muri admota, cum armati superstantes subsistent, &c. Tacitus lib. xix. Tum elatis super capita scutis, densa testudine succedunt, &c. & super iteratam testudinem scandentes : lib. xx. Per testudinem suorum scandebant, &c.

Portis succedunt] Liber unus manuscriptus, & Romanus impressus habent, portas succedunt ; quod non placet. Paulo post, Nisi subsidium submitatur, est in duobus vv. cc. pro, sibi mittatur ; & ita dixit lib. iv. cum ait : Subsidia iis submittebat. Videndum autem an pro, præfuerat, quod est paulo post, melior lectio sit, præerat : Item, ad castra Cæsaris omnibus copiis, sine, cum.

Et funditores Baleares] Baliares est in VV. CC. & a Græcis Βαλεαρῆδες. Inde Baliaricus Metellus in lapide Capitolino.

Ut fumo] VV. CC. habent, Ut ex fumo, & paulo post, tenere poterat, pro, occupare poterat.

Tantum adversus in latitudinem] Adversus, nomen est, ut : Adversus est in fronte Castrorum contra hostem lib. ii. de bell. civil.

Ex utraque parte lateris dejectus habebat] Infra est : Collis dejectus ; & Hirtius lib. de B. A. Unum latus erat adjectum flumini Nilo. Paulo supra V. C. habet : Et quid nostri auderent, sollicitationibus exquirebat.

Et in fronte leviter fastigatus] VV. CC. habent : Et in frontem leniter castigatus, ut fortasse fastigatus legendum sit ; nam infra, leniter acclivis aditus, dixit. Paulo post vv. cc. habent : Ut si quod opus esset, subsidio duci posset.

Hostes item suas] Hic locus ita legitur in vv. cc. Hostes item & suas copias ex castris eductas instruxerant. Et paulo post : Hac si nostri transissent, pro, Hanc.

Ad eos defendendos undique convenirent] V. C. habet, utique, pro, undique. Item : Divitiacum, atque Æduos ; sine voce, quoque.

Magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt, cum ab extremo agmine ad quos ventum erat, consisterent] Ita legitur hic locus in vv. cc. & paulo post, in uno est, ponerent ; in altero, fumerent, pro, posuerat. Item, terrore, pro, timore.

Sub occasumque Solis] V. C. habet, Sub occasu Solis ; & paulo post : & magno itinere confecto.

Vineas agere] Vineas intelligit parvas testudines, quibus milites tecti, opera in oppidorum oppugnationibus faciebant, de his Apollodorus, in Πύλορητικαῖς ita scribit : Σκέπεσθαι δὲ αὐτοῖς δεῖ χελώνας ἐλαφραῖς, καὶ κελουῖται ἀμπελοῖ, διὰ τὰ τὰς τὰξείας, καὶ τὰς σφενδυήσεις.

Sed quod erat, &c.] VV. CC. habent : Et quod erat civitas magna inter Belgas auctoritate. Item : Quod his rebus languescere animos eorum, virtutemque remitti existimarent, vel : remittique virtutem, &c. lib. iv. dixit : Quod ea re ad laborem remollescere homines, atque effeminari arbitrantur. Paulo post Faernus legebat triduum, non triduo.

Ο ο

Adua-

Aduaticorum copias] VV. CC. habent, Aduaticorum, ut supra diximus, & paulo post: Ad pugnam inutiles esse videbantur.

Crebrisque in latitudinem ramis enatis] Proenatis, VV. CC. habent, curvatis. Quam lectionem Strabo confirmat lib. iv. cum inquit: Συμπλέκοντες τὰς τῶν θαμνῶν λυγροῖς, βατῶδεις ὄντας, ἀνεφρακτοῦ τὰς εἰσόδους. ἔστι δ' ὅπου καὶ σκόλοπεκατεπηγον. Et paulo post VV. CC. habent, declivitate, pro, acclivitate. Item: Nam quoad hostis appropinquabat. Sed Faernus legebat, hosti. Cæsar enim in motu erat, non hostes qui trans flumen Sabin expectabant.

Passus circiter ducentos, infimus apertus] Legendum sine nota interpunctionis, ducentos infimus, &c.

Fluminis erat altitudo circiter pedum trium] Vox, trium, mihi suspecta est. Videtur autem legendum, vel, latitudo circiter pedum ccc. quia infra dixit: Ausos esse transire latissimum flumen: vel, altitudo circiter pedum triginta: nam infra dixit: Altissimum flumen. Paulo post in vv. cc. est, Quoad hostis. Item: collocarat, pro, collocabat.

Porrecta, ac loca aperta] Porrecta, plana dicuntur, Horatius: Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis Porrectus spatii, nec multæ prodigus herbæ. Minutius Felix in Octavio: Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum?

Interim legiones, quæ antevenerant] Ita habent vv. cc. & paulo post, pro, constituerant, videtur legendum, construxerant, deleta voce, ita: nam paulo supra, pro, turribusque constitutis, in vv. cc. est, turribusque constructis. Infra vero, ubi est: Tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur, &c. fortasse scribendum, constitueretur.

Provolarunt] Provolarunt vv. cc. ut decurrerent paulo post. Atque hæc scriptura constans est in vv. cc. confirmata testimonio veterum Grammaticorum, & Charisii. Faernus autem paulo post ex v. c. proturbatis, legebat, non, perturbatis.

Et incurfus hostium impediēbat] Liber Faerni pro, incurtus, habet, successus. Et paulo supra vv. cc. habent: Et jam in manibus nostris, &c.

Ipsi sibi magis præscribere] Ita est in VV. CC. & paulo post: nihil jam Cæsaris imperium spectabant, non expectabant. Item: Quod non longius hostes aberant. Et post, libri omnes, pro, decurrerit, habent, decurrit.

Ad insignia accommodanda] Polybius lib. vi. tradit Pilanos galeas suas lupinis exuviis ornasse, hastatos vero principes, & triarios pennigeris coronis, pennisque puniceis, aut nigris, cubitali longitudine. Unde Plautus in Bacchidibus. Pro galea strophium, pro, insigni sit corona plectilis.

Ne in quærendis suis] V. C. habet, Ne inquirendo suos, &c. ut videatur legendum, ne inquirendis suis.

Cum diversis locis legiones aliæ alia in parte hostibus resisterent] Cum in VV. CC. sit, Eum diversis legionibus, &c. fortasse scribendum, cum diversæ legiones aliæ alia in parte: nam paulo post

sic dixit: Item alia in parte diversæ duæ legiones undecima, & octava.

Ad galeas induendas] VV. CC. habent, induendas. Nec est reiicienda ea lectio; nam infra dixit: Pellibus induerant, &c. licet ibi vv. cc. habeant, induerant. Paulo post legendum ex vv. cc. Et Calones, qui decumana porta, a summo jugo collis nostros victores flumen transisse conspicati erant, prædandi causa egressi, &c. Item: In sinistra parte acie, &c. non, aciei. Sic Sallustius lib. i. historiarum apud Priscianum. Et Cæsar ipse lib. v. locuti sunt.

In fugam conjecerunt] VV. CC. habent, dede-runt, pro conjecerunt. Ac totum locum ita Faernus legebat: Rursus resistentes hostes, reintegrato prælio in fugam conjecerunt. Item paulo post v. c. habet: Attoties fere a fronte, & a sinistra parte nudatis castris, cum in dextro, &c. quod placet, nam paulo supra dixit, Fortunæ varios eventus esse sequutos, enumeratisque prosperis: At, inquit, alia ex parte castra fere capta sunt. Et infra v. c. habet, clamor fremitusque oriebatur, non, exaudiebatur.

Pars summum castrorum locum petere] Ita CC. VV.

Ac rursus aliam in partem fugam petebant] Videtur legendum, aliam partem fuga petebant. Paulo post legitur in vv. cc. sibi ipsos ad pugnam esse impedimento vidit. Et: Signifero interfecto, signo amisso, &c.

Judicari deberent] Placeret magis, debuerint; ut supra lib. i. Oppida expugnari non debuerint.

Ex sexcentis, ad tres Senatores; ex hominum millibus sexaginta, vix ad quingentos, &c.] Legendum ex Plutarcho, ex cd. ad III. Senatores; nam sic habet Plutarchus in Cæsare: Πεντακισίμη γὰρ ἀπὸ μυριάδων ἔξ στωθῶν λέγονται, βελδταὶ δὲ τρεῖς ἀπὸ τετρακισίων. Locus Livii in epitoma libri civ. Ex eodem Plutarchi loco corrigitur.

In his primipilo P. Sextio Baculo] VV. CC. In his primopilo P. Sextio Pactio, & in antiqua inscriptione est, PRIMOP. Quid autem sit primopilus, dicitur infra.

Aduatici de quibus supra scripsimus] VV. CC. Aduatici, de quibus supra diximus, ita enim Orosius lib. vi. & Dio, item Α'τουατικοί, lib. xxxix. in hac ipsa re narranda.

Qui cum iter in provinciam nostram atque Italiam facerent] VV. CC. habent: Qui cum iter per provinciam nostram atque Italiam facerent, &c. Sex milia hominum reliquerunt, &c. deleta voce, una. Item v. c. habet: Homines præsertim tantulæ staturæ.

Custodiam ex suis, ac præsidium] Ita Faernus, non, custodia, &, præsidio; & post: Turrim in muro se se collocare considerent. Item: Ut postea perspectum est, &c. non, compertum est.

Quam ipsi ab aliis audissent] VV. duo CC. Audirent; & paulo post, despoliarer, pro, dispoliarer, antiqua scribendi ratione. Item: Quibus ad hæc Cæsar respondit, In aliis autem libris deest vox, quibus.

Præsidia deducturos] In duobus vv. cc. est, non inducturos. Sed lib. III. de Bell. civ. dixit: Dedu-